# DE SENATU ATHENIENSIUM

## QUAESTIONES EPIGRAPHICAE SELECTAE

AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

AB AMPLISSIMO

PHILOSOPHORUM ORDINE

ACADEMIAE WILHELMAE ARGENTINENSIS

RITE IMPETRANDOS

SCRIPSIT

VICTOR HEYDEMANN

SEDINENSIS.

ARGENTORATI

APUD CAROLUM I. TRUEBNER.

MDCCCLXXX.

PIIS MANIBUS PATRIS CARISSIMI

ALBERTI HEYDEMANN

S.

Cum quaestionem difficilem de provincia senatus Atheniensium retractare susciperem, quae scriptores rerum Graecarum sive historici sive oratores sive alii de illo saepe non tam referunt quam obiter tangunt, iis maximam partem neglectis inscriptionum Atticarum fere solarum rationem habui, non quo existimarem ex testimoniis veterum scriptorum nihil iam novi disci posse, sed quod multo facilius esse duxi fontes nondum satis exhaustos adire quam in vias, quas plurimi iique doctissimi viri antea iam ingressi essent, denuo me dare. Neque vero me fugit hac ratione rem in periculum quoddam adductam esse, cui me saepius semel succubuisse ipse probe scio. Cum enim alter titulus haec, alter illa, utcunque fors tulit, quae memoratu digna sint, de senatu Atheniensi doceat, difficillimum est omnia ita in commentationis formam redigere, ut singula arte inter se cohaereant et opportunus capitum ordo, qualem tenere maluissem, efficiatur. Disposui autem argumentum ita, ut praemissis observationibus quibusdam de senatus in pecuniis publicis administrandis auctoritate agerem

I. de eiusdem auctoritate in honoribus tribuendis,
II. de iurisdictione senatus,
III. de senatu operibus publicis praefecto,
IV. de senatus potestate in sociorum tributis censendis,
V. de senatus in commercio populi Atheniensium cum aliis civitatibus, praecipue in foederibus componendis potestate.

Denique appendicis loco addidi adnotationes quasdam ad titulum C. I. A. I 52.

Ceterum de recta via interdum decedenti mihi senatumque per breve tempus deserenti fore ut ignoscatur spem concipio.

Rudolfo autem Schoellio, quem praeceptorem habuisse summo mihi lucro duco, quantum cum in universis meis litterarum studiis tum in hoc opusculo conficiendo debuerim, quin grato animo palam profitear, praetermittere non possum.

De senatus Atheniensium auctoritate in pecuniis publicis administrandis pauca exponam, quae praesertim ad Calliae decretum illud pertinent (C. I. A. I 32), quo senatus populusque Atheniensium aes alienum a re publica reliquorum deorum aerariis debitum solvi iubent. Atque cum v. 9 sqq. prytanibus una cum senatu praeceptum sit, ut debita reddant, iam edicitur: quaestores a populo creandos, qui posthac sacras deorum res et pecunias omnes in opisthodomo deponendas administrent, c o r a m  s e n a t u in arce res sacras ab eis, qui easdem usque ad id tempus administraverint, accurate numeratas pensasque accipere. Ex quo edicto Boeckhius (*Staatshaush. d. Ath.* I 220. Cf. Schoemann, *Gr. Alt.* I 397) non solum hos reliquorum deorum quaestores, sed etiam ipsos deae Minervae quaestores p r a e s e n t e  s e n a t u successoribus res sacras tradidisse idque, quotiescunque collegium quaestorum munere se abdicaverit, repeti solitum fuisse conclusit. Non ita iusto iure, opinor. Immo quia novum reliquorum deorum aerarium conditur novusque ei magistratus quaestorum praeficitur, quaestoribus res sacras accipientibus senatus adesse iubetur. Sed num quotannis traditionibus pecuniarum rerumque sacrarum adfuerit senatus nescimus; quod si quis negaverit, me non habebit refragantem.

Eodem in lapide illud quod praecedit (v. 7 sqq.): *λογισάσθων δὲ [οἱ λ]ογισταὶ οἱ τριάκοντα οἵπερ νῦν τὰ ὀφειλόμενα τοῖς θεοῖς ἀκρ[ιβῶ]ς· συναγωγῆς δὲ τῶλλογιστῶν ἡ βουλὴ αὐτοκράτωρ ἔστω*, praeterire non licet. Logistae igitur aes alienum dis debitum una cum usuris accurate computare iubentur, ad quem computum instituendum senatui eos convocare, quando ipsi placeat, permittitur: nimirum quia

materia computandi in senatus manu erat (cf. v. 11 sq. et infra p. 9).[1] Crediderit autem quispiam illis verbis, cum sua sponte ut logistas convocaret per senatum non steterit, a populo demum hoc ei concedi. Atqui num ne ea quidem potestate senatum fuisse censeamus, ut collegium logistarum, cui ipse, summus scilicet in pecuniis publicis administrandis Atheniensium magistratus, praeerat, ultro convocare non potuerit? Potius ita verba *συναγωγῆς δὲ τῶλλογιστῶν ἡ βουλὴ αὐτοκράτωρ ἔστω* accipienda sunt, ut populus senatui copiam faciat quandocunque voluerit logistis negotium praecipiendi, tempore non definito intra quod computus perficiendus sit. Unde et ordo et tempus operae exequendae senatus arbitrio permittitur.

Ceterum *βουλὴν αὐτοκράτορα* vel *κυρίαν* habes etiam C. I. A. IV 22a, in decreto de rebus Milesiorum ordinandis, quod valde mutilatum ad nos pervenisse dolemus 17 -- *ἡ βουλὴ τῆς φυλακῆς· τῶν δὲ ψηφ[ισμάτων* --- 18 *ἂν ἐπιτ[άττη]ται, ἡ βουλὴ αὐτοκράτ[ωρ* --[2]. Addo autem locum C. I. A. II 17 v. 34 sq.: *[ἐὰν δὲ τυγ]χάν[η]ι· τῶν πόλεων [τῶν ποιουμένων τ]ὴν συμμαχίαν πρὸς Ἀθην[αίους σ]τ[ῆ]λαι οὖσαι Ἀθήνησι ἀνεπιτήδειο[ι, τ]ὴμβουλὴν τὴν ἀεὶ βουλεύουσαν κυρίαν ε[ἶν]αι καθαιρεῖν.* Certe columnas publice collocatas, postquam populi scito decreta irrita facta sunt, deici iubere neque senatui neque ulli magistratui licebat nisi diserto populi iussu. Itaque in foedere Atheniensium Thessalorumque anni 361/0 a. Ch. (in *Mittheil. d. deutsch. archaeol. Instit. in Athen* II 291) ipse populus iubet: *[τὴ]ν δὲ στ[ή]λ[ην τὴ]ν πρὸ[ς Ἀ]λ[έξα]νδ[ρ]ον [κα]θ[ε]λ[ε]ῖν [τ]οὺς [ταμία]ς*

[1]) Pariter logistae Ol. 90 pecunias 'quae cum per undecim annos Ol. 86, 4—89, 2 ad belli (Archidamii) usus e thesauris Minervae et reliquorum deorum mutuo essent sumptae, finito bello debebantur, una cum usuris' populi iussu computant: v. C. I. A. I 273 (p. 146).

[2]) Cf. etiam Hartel. *Demosthen. Studien* II 111, qui inter se confert hos locos: C. I. A. II 66 b, v. 10 sq.: *ἐὰν δέ [του ἐνδεὲς ᾖ τόδε τ]ὸ ψή[φ]ισμ[α], τ[ὴ]ν [β]ουλ[ὴν] κυρίαν εἶναι*, et Boeckh. docum. naval. p. 467: *ἐὰν δέ του προσδέ[η]ται τόδε τὸ ψήφισμα τῶν περὶ τὸν ἀπόστολον, τὴν βουλὴν κυρίαν εἶναι ψηφί[ζ]εσθαι, μὴ λύουσαν μηθὲν τῶν ἐψηφισμένων τῷ δήμῳ.*

*τῆς θεοῦ τ[ὴν π]ερ[ὶ τῆ]ς [σ]υμμαχία[ς]*, quod foedus cum Alexandro Pheraeo anno 368 ictum esse Diodorus (15, 71) refert. Koehlerus adnotat: '*Die Säule stand auf der Burg, daher werden die Schatzmeister der Athene mit der Ausführung des Beschlusses beauftragt.*' Sic etiam Alcibiade a. 408 Athenas reverso ecclesia convocata decrevit columnam, in qua damnatio illius perscripta erat, delendam esse: cf. Diodor. 13, 69: *ἔπειτα δὲ τὰς στήλας κατεπόντισαν, ἐν αἷς ἡ καταδίκη καὶ τἄλλα τὰ κατ' ἐκείνου κυρωθέντα.* Ceterum simili modo atque fit in titulo C. I. A. II 17 alibi quoque senatus aut prytanes senatus iubentur tabulas publicas aut nomina in tabulis inscripta delere. Ita C. I. A. IV 61a, v. 33 sqq. decernitur: *καὶ [ἐ]ξαλεῖψαι τὰ ὀνόμα[τα τῶν ὁμήρ]ων τῶν Σηλυμ[β]ριανῶν καὶ τῶν ἐγγυη[τῶν εἶναι κ]ύριον τὸν γραμ[μα]τέα τῆς βουλῆς, [ὁ]π[όσοι εἰσὶ γεγ]ραμμένοι, ἐναντίον τῶμπρυτάνε[ων]*. Iam quae I 32 verbis modo citatis adduntur: *ἀποδόντων [δὲ τ]ὰ χρήματα οἱ πρυτάνεις μετὰ τῆς βουλῆς καὶ ἐξαλειφόντων, ἐπει[δὰν] ἀποδῶσι, ζητήσαντες τά τε πινάκια καὶ τὰ γραμματεῖα καὶ ἐάμπ[ου ἄλ]λοθι ᾖ γεγραμμένα*, ea opportune illustrantur loco, qui extat in Patroclidis decreto de restituendis in integrum debitoribus publicis (Andoc. de myst. 79): *τὰ δὲ ἄλλα πάντα* (sc. *ὀνόματα*) *ἐξαλεῖψαι τοὺς πράκτορας καὶ τὴν βουλὴν κατὰ τὰ εἰρημένα πανταχόθεν, ὅπου τι ἔστιν ἐν τῷ δημοσίῳ, καὶ εἰ ἀντίγραφόν που ἔστι, παρέχειν τοὺς θεσμοθέτας καὶ τὰς ἄλλας ἀρχάς.* Videmus eis, quorum in custodiam illa documenta data sunt, quaestoribus Minervae, practoribus, scribae senatus, denique prytanibus et senatui ipsi negotium delendorum documentorum mandari.

Ceterum similis negotiorum ordo atque in titulo C. I. A. I 32 singillatim praescribitur in inscriptione gravissima de chalcothecae rebus recensendis (Ol. 105, 3/4 vel 106, 3/4) II 61 v. 7 sqq.: *παρ[εῖ]να[ι δὲ καὶ τοὺς ταμίας] τῆς θεοῦ ὅσοι ἐταμίευσαν ἀπ[ὸ Μ]ό[λ]ω[νος ἄρχοντος· ἀ]νειπεῖν δὲ καὶ τὸγκήρυ[κ]α τῆς βου[λῆ]ς παρ[εῖναι τὰ]ς ἀρχὰς ταύτας εἰς τὴν ἡμέραν ἣν ἂ[ν] π[ρο]γράψω[σιν οἱ] πρυτάνεις· παραγγεῖλαι δὲ τοὺς πρυτάν[ε]ι[ς] καὶ Ε[ὐκλ]εῖ τῷ δημοσίῳ ἥκειν εἰς*

ἀκρόπολιν γρα[ψόμ]ενον τ[ὰ] ἐν τῇ χαλκοθήκῃ. καὶ ἐπειδὰν τὸ οἴκημα ἀ[νοι]χθῇ ἐξετάζειν κατὰ ἔθνος ἕκαστα καὶ ἐπιγράφειν τ[ὸν] ἀριθμόν, ἀντιγράφεσθαι δὲ τὸγγραμματέα τὸγκατὰ [πρ]υτανείαν καὶ τοὺς ἄλλους γραμμα(τέ)ας τοὺς ἐπὶ τοῖ[ς δ]ημοσίοις γράμμασιν . . . Chalcothecae igitur perlustrandae die a prytanibus statuenda acciti per senatus praeconem adesse iubentur strategi, hipparchi, phylarchi, taxiarchi et fortasse etiam alii eiusdem generis magistratus (v. 4 sqq.), deinde quaestores deae ii, qui inde a Molone archonte (Ol. 104, 3) munere functi sint[1]), postremo Eucles servus publicus, qui chalcothecae res recognoscat. *Ἀντιγραφέων* munus scribae prytanum aliisque scribis mandatur. Totum examen haud dubie coram prytanibus factum est, quippe qui diem rerum recensendarum statuant et Euclem servum publ. in arce adesse iubeant. Recensu autem perfecto senatus laterculum a scriba suo factum et per prytanes propositum cum tabulis antea scriptis comparare itaque quid deficiat, certior fieri, deinde, qua ratione id apte suppleatur, consilium cum populo communicare iubetur: 22 sqq. ποιήσασθαι δὲ τὸγγραμματέα τ[ῆς β]ουλῆς ἀντίγραφα ἐκ τῶν στηλῶν τὰ ἀναγεγραμμένα [πε]ρὶ τῶν ἐν τῇ χαλκοθήκει· ἐπειδὰν δὲ ταῦτα παρασκ[ευα]σθεῖ, το[ὺ]ς πρυτάνε[ι]ς προγράψαι περὶ τούτων [ἐν βουλευ]τηρίῳ ὅτ[α]ν οἷόν τε ᾖ, ἀκούσασ[αν δὲ τὴν] βου[λὴν ἀ]ντα[ν]αγιγνωσκομένων τ[ῶν ἀναγεγραμμένων (?) ἐν τῇ] χαλκο[θήκ]ει πρὸς τὰ ἀναγεγρ[αμμένα ἐν ταῖς στήλαις ἐ]άν τ[ινος] δέῃ προβουλεύσασ[αν ἐξενεγκεῖν εἰς τὸν δ]ῆμον, ὅ[πως ἂ]ν ἀκούσας ὁ δῆμος βου[λεύῃ πῶς ἀναπληρ]ωθήσετ[αι τὰ ἐ]λλείποντα.

---

1) Cum his cf. C. I. A. I 32 B, v. 26 sq.: . . μετὰ τῶν τ[εττάρ]ων ἀρχῶν, αἳ ἐδίδο[σαν ἀεὶ τὸν λόγον ἐκ Παν]αθηναίων ἐς Πα[ναθήν]αια. . . Kirchhoff, *Bemerkungen zu den Urk. der Schatzmeister der anderen Götter* p. 9 sq..

# DE SENATUS AUCTORITATE IN HONORIBUS TRIBUENDIS.

Transeamus nunc ad potestatem in honoribus publicis, quales sunt laudationes coronae proxenia, tribuendis senatui concessam. Ac primum quidem apparet quemvis hominem, qui de senatu bene meritus esset, ab eo ipsius nomine et privatim, ut ita dicam, laudari vel coronari potuisse, prorsus ut cuilibet collegio magistratuum paganorum tribulium aliorum viros bene meritos laudare vel coronare licebat — dummodo ne pecunia illis honoribus impendenda ex aerario publico erogaretur. Velut C. I. A. II 114 senator quidam a senatu laudatur hoc decreto facto (A v. 4): *κρίσιν ποιῆσαι τῶν λεγόντων ἐν τῇ βουλῇ ἐπὶ τῆς ἐνάτης πρυτ[α]νείας καὶ τιμῆσαι ὃς ἂν δοκῇ αὐτῇ ἄριστα λέγων καὶ πράττων καὶ ἀδωροδοκήτως ὑπὲρ τῆς βουλῆς καὶ τοῦ δήμου τοῦ Ἀθηναίων διατετελεκέναι τὸν ἐνιαυτόν.* Destinatur Phanodemus, qui aurea corona donatur, ad quam faciendam quingentae drachmae e x a e r a r i o s e n a t u s assignantur: *τὸ δὲ ἀργύριον εἶναι τὸ εἰς τὸν [στέ]φανον ἐκ τῶν εἰς τὰ κατὰ ψηφίσματα ἀναλισκομένων τῇ βουλῇ.* In eadem inscriptione alter quoque senator non arbitrio facto, sed suadente uno ex senatoribus corona aurea quingentarum drachmarum honoratur, quam Brachyllo rogante quinque *βουλευταί* pecunia a b o m n i b u s s e n a t o r i b u s collata facere iubentur: *ὅπ[ως] δ' ἂν ποηθῇ ὁ στέφανος καὶ ἡ φανερὰ ἡ δωρεὰ ἡ πα[ρὰ τῆς βουλῆ]ς, ἑλέσθαι πέντε ἄνδρας τὴν βουλὴν αὐτίκα μάλα οἵτινες ποήσονται τὸν στέφανον - - - - [τὸ δὲ ἀρ]γύριον εἶναι εἰς τὸν στέφανον π[α]ρ' [ἑκ]άστου τῶν βουλευτῶν.* Hanc Brachylli rogationem senatores secuti sunt reiecta Anticratis cuiusdam, qui idem quod de Phanodemo erat decretum rogaverat: *τοὺς δὲ ταμί[ας δοῦναι τ]ὸ ἀργύριον ἐκ τῶν κατὰ ψηφίσματα ἀνα[λισκο]μένων τῇ βουλῇ.*

Per psephismata summam pecuniae a senatu impendendae statutam esse ex hoc tantummodo lapide et n. 61 compertum

habemus[1]), ubi indicem instrumenti chalcothecae *ἐκ τῶν κατὰ ψηφίσματα ἀναλισκομένων τῇ βουλῇ* fieri populus iubet (v. 20 sqq.): *[ἐς] δὲ τὴν ἀναγραφὴν τῆς στήλης δοῦναι τοὺς ταμίας [τῆς] βουλῆς: ΔΔΔ: [δρ]αχμὰς ἐκ τῶν κατὰ ψηφίσματα ἀναλ[ισκο]μένων τῇ βουλῇ.* Neque igitur populi solum rebus pendendis certa aerarii summa decretis assignabatur, id quod formula saepissime adhibita: *ἐκ τῶν κατὰ ψηφίσματα ἀναλισκομένων τῷ δήμῳ* significat, sed etiam senatus partim suas res, ut senatorum honores, partim rei publicae, ut catalogum chalcothecae, *ἐκ τῶν κατὰ ψηφίσματα ἀναλισκομένων τῇ βουλῇ* solvebat. Ceterum uterque titulus, medio fere quarto saeculo positus (Koehler. Herm. V 13), duos quaestores senatus profert (cf. 114 C, v. 7 sqq.), cum postea unum tantum fuisse constet.

Quaestores et scribae senatus, quoniam erant *βουλευταί*, a senatu solo et ipsi honore afficiuntur[2]): C. I. A. II 329. 390. 391. 393. 394. 431. 440. 487. Uno titulo 454 senatus populusque coniuncti utrumque magistratum laudant (v. Hartel. *Stud. z. Att. Staatsr.* p. 73). Prytanes autem quamvis sint senatores nusquam videmus a senatu solo laudari. Immo Hartel. (ib. p. 240. cf. p. 67), cum prytanes plebiscitis, quae a formula *ἔδοξεν τῷ δήμῳ* incipiunt, laudari soleant (cf. 390. (391). 392. 417. 425. (426). 431, 1. 432), inde efficit hac in re populum non certi probuleumatis formulam secutum esse, verum rogationem ab ipsa ecclesia profectam, quam rem ita explicat, honorem illum nisi populus ultro cuiquam contulisset, parvi tantum pretii fuisse. Quod etiamsi verum esse concedam, tamen senatus quoque partes legitimas fuisse in ea materia tractanda titulo 567 demonstratur, qui anno Ol. 123, 4 scriptus reliquos illos aetate superat[3]). Hoc lapide prytanes Aegeidis tribus a contribulibus privatim laudantur, postquam eos s e n a t u s p o p u l u s q u e *κατὰ τὸν νόμον*, i. e. publice coronavit: *ἐπειδὴ οἱ βουλευταὶ τῆς Αἰγηίδος [φ]υλῆς*

---

1) Cf. Boeckh. *Staatshaush.* I 232. Hartel. *Stud. z. Att. Staatsr.* 131.

2) Cf. Koehler. in Herma Berol. V 334.

3) Cf. Koehler. l. l. 333.

*οἱ ἐπὶ Διοτίμου ἄρχοντος καλῶς* [*κ*]*αὶ δι*[*κα*]*ίως ἐβούλευσαν καὶ ἐπρυτάνευσ*[*αν*] *τὴν πρυτανεία*[*ν*] *ἣν ἔλαχον καὶ διὰ τα*[*ῦτα*] *αὐτοὺς ἡ βουλὴ καὶ ὁ δ*[*ῆμος ἐ*]*σστεφά*[*ν*]*ωσαν χρ*[*υσ*]*ῷ στεφάνω*]*ι* [*κατὰ τὸν ν*]*όμ*[*ον, ἀ*]*γαθῇ τύχῃ δεδό*[*χ-θ*]*αι* [*τοῖς φυλέταις ἐπαινέσ*]*α*[*ι*] *τοὺς βουλευτὰ*[*ς*] *τῆς Αἰγηί-δο*[*ς φυλῆς*] . . .

Quod autem hoc loco prytanes primum a senatu populoque, deinde a contribulibus ornantur, similis res esse videtur n. 562 (Ol. 110, 3) in Bularcho quodam, taxiarcho Cecropidis tribus, et a senatu et a tribulibus[1]) laudato et a senatu quidem oleagina, a tribulibus aurea corona donato. Quamquam ea res aliter explicanda est. Atque Bularchum proeliorum illorum, quae a. Ol. 110, 2 non multo ante pugnam Chaeronensem inter Graecos et Macedones commissa sunt, (Dem. 18, 216) alteriutri vel utrique adfuisse Kirchhoff. (in *Monatsber. der Berl. Akad.* 1863 p. 8) sagaciter conclusit, quare ob fortitudinem ([*ἐπειδὴ* . . .] *Βο*[*ύλ*]*α*[*ρχος* . . . *ἀνὴρ ἀγαθὸς ἐγένετο περ*]*ὶ τοὺς σ*[*τρατευσαμένους*]) laudem ei a senatu, qui exercitui providet, impertiri par est. Quid autem sibi volunt *οἱ φυλέται*? Illud enim mirum, quod senatus decretum tribulium Bularchi iussu lapidi inciditur — neque enim priori decreto clausula additur de pila inscribenda — idque adeo per tribules mandatur scribae prytaniae: *παραλαβεῖν*?] *δὲ τόδε τὸ ψήφισμ*[*α τὸν γρ*]*αμμα*[*τέα τὸν κατὰ πρυτανείαν καὶ*] *ἐπὶ τὸ ἀνάθημα ἐπιγρ*[*άψ*]*αι καθά*[*περ τὸ ψήφισμα τῆς βουλῆς*]. Vix enim aliter haec suppleri possunt: nec de scriba tribus cogitare licere Koehlerus vidit. Certe tribuum scita plerumque curatoribus (*ἐπιμεληταῖς*) tribus inscribenda mandantur: cf. 553. 554. 557—559. Denique siquidem recte suppletur in extremo senatus decreto [*εἶναι δὲ αὐτῷ καὶ ἄλλο ἀγαθὸν εὑρέσ*]*θαι παρὰ τῶ*[*ν φυλετῶν*: quo iure dicamus formulam sollemnem probuleumati ad populum ferendo aptam (cf. Hartel. *Att. Staatsr.* 230 sqq.) ad

---

[1]) Nam quod prius decretum a tribu (*φυλῇ*) ut exercitus parte, alterum a tribulibus fieri Kirchhoffio visum est, prava Velseni lectione *ἡ φυλή* v. 14 nititur: *ἡ βουλή* extare testatur Koehlerus.

tribulium concilium referri, cui nihil commune erat cum senatu? At ne multa, *φυλέται* intellegendi sunt senatores qui tum erant tribus Cecropidis: qui cum ex senatus sententia et ipsi peculiari decreto Bularchi tribulis sui honores augerent, id ut publice perscriberetur prytaniae scribae senatori committere facile poterant. Pariter in decreto senatus II 329 quaestore et scriba tribus Aegeidis laudatis *εὐσεβείας ἕνεκα τῆ[ς] π[ρὸ]ς [το]ὺς θεοὺς καὶ φιλοτιμίας τῆς εἰς τοὺς φυλέτας* additur *ἐπαινέσαι δὲ καὶ ἐκ τῶν φυλετῶν Καλλι[κρά]την Κ[ολλ]υτέα* — redit id nomen infra in prytanum recensu —: ubi *τῶν πρυτάνεων* pro *ἐκ τῶν φυλετῶν* sine causa Kirchhoffius legere malit. Nam etiam in summariis infra adscriptis quod praeter solita *ὁ δῆμος τοὺς πρυτάνεις, οἱ ἀΐσιτ[ο]ι τὸν ταμίαν Νικοκράτην* quinquies comparet *οἱ φ[υλ]έται τὸν ταμίαν Νικοκράτην, οἱ φυλέται Καλλικράτην Κολ[λ]υτέα, οἱ φυλέται τὸν γραμματέα Ἀν[τι]σθένην* etc.: *φυλέται* ipsi senatores sunt et prytanes qui tribules suos munere functos honore afficiunt. Eodem referri potest fragmentum 568 *οἱ φυλέται Σάτυρον Πρωτομήδου Ἀθμονέα.* Laudatur igitur Bularchus cum a senatu ipso tum a decima senatus parte, senatoribus tribus Cecropidis.

Porro senatus solius decretum honorarium est II 258 (Ol. 119, 1), ubi Eucharem laudat, quia *[ἐπε]μελήθη δὲ καὶ τῆς [ἀναγ]ρ[αφῆς τῶν ν]όμων, ὅπως ἂν ἐκτε[θῶσι] πά[ντες οἱ νεν]ομοθετημένοι [ἐπὶ] Φερεκ[λέους] ἄρχοντος σκοπεῖ[ν τῶ]ι βουλο[μένω]ι καὶ μηδὲ εἷς ἀγν[οῆ] τοὺς τῆς [πό]λεως νόμους.* Ornatur autem Euchares corona oleagina, quam certe pariter atque ipsam pilam (v. 18 sqq.: *ἀναγράψαι δὲ τόδε τὸ ψήφισμα τὸν γραμματέα τὸν κατὰ πρυτανείαν καὶ στῆσαι ἔμπροσθεν τοῦ βουλευτηρίου*) ex senatus aerario datam esse constat. Idem quod leges perscripsit Euchares, senatui potissimum gratum fecisse his verbis praedicatur: *δεδόχθαι τῇ βουλῇ ἐπαινέσαι Εὐχάρην . . ἀρετῆς ἕνεκα καὶ δικαιοσύνης τῆς εἰς τὴν βουλήν.* Sic 329 quoque in altero senatus decreto quaestor senatus *εὐσεβείας ἕνεκα τῆς πρὸς τοὺς θεοὺς καὶ φιλοτιμίας τῆς εἰς τὴν βουλήν* laudatur: nec dubito quin 562 Bularchus per senatum coronetur

[ἀνδραγαθίας ἕνεκα καὶ] φιλοτιμίας [τῆς εἰς τὴν βουλήν], neque vero, quod Koehlerus supplevit, τῆς εἰς τὸν δῆμον. Ut vero centum annis ante novae leges liberae reipublicae restitutae per nomothetas a senatu electos propositae, per senatum et nomothetas a paganis electos (Andoc. de myst. 83) promulgatae sunt, sic earum quoque legum ferendarum, quas Pherecle archonte latas esse nimirum post Demetrii Phalerei leges abrogatas titulus testatur[1]), senatus particeps fuisse potest. Ipse autem Euchares num ex senatoribus fuerit, dubium est.

Ephebos Atheniensium corona aurea, quam peracta ephebia accipere solebant, non a senatu sed iussu populi honorari solere tituli docent cum alii tum II 316, 'antiquissimus inter omnia decreta ephebica', cuius argumentum hoc est. Cum qui Menecle archonte ephebi fuerant, quamquam bene se gesserant, fortasse propter belli tumultum praemium suum, coronam dico, non reportaverint, conquestis illis senatus obsecutus ad populum fert, ut ipsi quoque praemio donentur, ἐπειδὴ καὶ οἱ ἄλλοι οἱ δ[ιαμείν]α[ν]τες τετίμηνται (v. 13 sq.), atque populus coronam auream iis addicit. Primo demum a. Chr. saeculo in titulis duobus 481 et 482 senatus decretis ephebi et cosmetae honorantur: quibus iniuria n. 466 adnumerat Hartel. *Att. Staatsr.* 86, deceptus v. 39, ubi in lapidis hiatu supplendum est δεδόχθαι τῇ βουλ[ῇ] τοὺς λαχόντας προέδρους κτλ.: nimirum formula probuleumativa non plena perscripta erat, sed indicata tantum pariter atque n. 467, 45 et 96. Atque recte Koehler ad n. 481: 'in utroque titulo cosmetae et ephebis honores decernuntur non iam a senatu et populo, sed a senatu solo', id quod affert ille, ut demonstret tempore, quo uterque positus sit, 'statum rerum publicarum a temporibus antiquioribus diversum fuisse'. Ceterum ephebi in fine ephebiae 'senatui ostendebant, quid in armis rebusque tacticis profecissent' (Dittenberger. de ephebis p. 27. Dumont *essai sur l' ephébie attique* I 136), cf. 466 v. 37. 467 v. 42. 468 v. 26. 469 v. 29. 471 v. 33: ἐποιή-

---

[1]) Cf. Meier. comment. epigraph. p. 18 et R. Schöll. in Comment. in hon. Th. Mommseni p. 470.

*σαντο* (*οἱ ἔφηβοι*) *δὲ καὶ ἐπ᾽ ἐξόδῳ τῆς ἐφηβείας τὴν ἀπόδειξιν* (469 v. 60. 470 v. 40: *ἀπόδειξιν ἔν τε τοῖς ὅπλοις καὶ περὶ τὰ ναυτικὰ*) *τῇ βουλῇ*. 470 v. 21: *καὶ τὴν ἀπόδειξιν ἐποιήσαντο ἐν τῷ πα . . . . ι τῇ βουλῇ*. Quam *ἀπόδειξιν* prioris ephebiae, qualis erat liberae reipublicae temporibus, tamquam vestigia servare apparet, neque iniuria cum ea comparari posse arbitror quod Xenophon (Hipparch. I 8. 13. oecon. 9, 15) narrat senatum interdum equites lustravisse: scilicet illa quoque *ἀπόδειξις* non erat nisi examen epheborum militare.

Cosmetam quoque, summum epheborum magistratum, senatus una cum populo coronabat. Qui in antiquissimo titulo 316 oleaginam tantum coronam accipit: aureae coronae honore posteriore tempore (i. e. inde ab altero saeculo) afficitur. Laudationis causae afferuntur cum aliae tum haec 467 v. 89 sqq.: *ἐποιήσατο δὲ καὶ τὴν ἀπόδειξιν αὐτῶν καὶ τὸν ἀπολογισμὸν ἐν τῇ βουλῇ ὑπὲρ τῶν κατὰ τὴν ἀρχὴν· καὶ περὶ τῶν ἐν τῷ ἐνιαυτῷ γεγονότων πάντων τοῖς ἐφήβο[ις], ἀνθ᾽ ὧν καὶ οἱ ἔφηβοι βουλόμενοι τιμᾶν αὐτὸν ἀξίως τῆς γεγονείας εἰς ἑαυτοὺ[ς] εὐεργεσίας ἐστε[φ]άνωσαν αὐτὸν ἐν τῇ βουλῇ*. cf. 481 v. 35: . . *ἐ]φ᾽ οἷς καὶ αὐ[τ]οὶ* (ephebi) *βο[υλόμενοι εὐχαριστεῖν αὐτῷ* (cosmetae) *ἐστ]εφάνω[σά]ν [τε α]ὐ[τὸ]ν ἐν τῇ βουλῇ χρυσῷ στεφάνῳ*. Sub exitum igitur anni ephebici cosmeta ad senatum refert de rebus eo anno actis: quam relationem sequuntur laudes et honores. Ceterum quod 469 v. 60 sq. et 470 v. 42 legitur: *καὶ περὶ πάντων τῶν κατὰ τὴν ἀρχὴν ἔδωκεν τὰς εὐθύνας ἐν τῷ δικαστηρίῳ*, inde probatur cosmetis, postquam senatui, quid in magistratu gesserint, exposuerint, iam pariter atque ceteris magistratibus apud iudices rationes reddendas fuisse; qua de re cf. R. Schoell. de synegoris Atticis commentat. p. 28. 14.

Iam peregrinis hominibus bene meritis cum plerumque populi decreto honores tribuantur, eosdem a senatu solo privatim honorari potuisse exemplo est C. I. A. II 8, quo titulo Cinesia rogante Dionysius maior tyrannus Siciliae eiusdemque fratres duo et levir a senatu laudantur (cf. add. p. 396). Qui cur maxime suo nomine laudem impertiat, nescimus: quam-

quam Koehlerus (*Mittheil. d. archaeol. Inst.* I 6 sq.) duas causas affert recordatus et poetis certantibus a senatu praemium esse datum (cf. Boeckh. *Staatshaush.* I 338 sq.) et classi augendae senatum consuluisse. Sed non est cur tyrannum ob rem aliquam honorari dicamus, quae ad ipsam provinciam senatus pertinuerit: dummodo aliquo modo de re publica Atheniensium meritus sit. Quin etiam cogitari potest Dionysium non ob merita praestita, sed tantummodo ut civitati concilietur honoribus affici.

Proxeniam non tribui nisi per populi decretum, quo senatus auctoritas probetur, e multis exemplis constat. Itaque decretum II 3, quo senatus tabulam, qua Apemanti filiorum proxenia promulgata erat, sub triginta viris deiectam restitui et proxeniam illorum renovari suo nomine iubet, Hartelius (*Att. Staatsr.* 164) putavit a senatu fieri non potuisse, nisi postquam eius rei plebiscito *αὐτοκράτωρ* factus esset. Eademque ratione tituli II 1 c (add. p. 396), 25, 29, quae senatus psephismata sunt, et 11, 30, 89, quae etsi praescripta habent: *ἔδοξεν τῇ βουλῇ καὶ τῷ δήμῳ*, ab Hartelio pro senatus psephismatis habentur, eidem comprobare videntur senatum vel sua sponte vel a nescio quo rogatum edicere potuisse, ut decreta inscriberentur, quae incidenda populus iam expressis verbis permisisset. Longius progreditur Foucartus (*Revue archéol.* 1878 p. 122) cum dicit: '*le conseil avait le droit d'ordonner de sa seule autorité la gravure et l'exposition des décrets votés antérieurement par l'assemblée*'. Denique Koehlerus, C. Curtius Herm. IV p. 405, Sauppius de proxenis Atheniensium p. 8 (cf. Hartel l. c. p. 162) censuerunt a senatu, quia Apemanto *καὶ αὐτῷ καὶ ἐκγόνοις* populus olim proxeniam dedisset, filios recte proxenos declarari, sicut fit n. 29: *ἀναγράψαι [τὸν γραμματέα τῆς] βουλῆς Ἐχέμ[βροτον εἶναι Ἀθηναί]ων πρόξε[νον καὶ εὐεργέτην καθ]άπε[ρ] ὁ π[ατὴρ αὐτοῦ* . . . Sed mirum est tum in repetito exemplari *ἐκγόνους* non nominari, ut honos iam ad solos filios Apemanti nominatim perscriptos pertineat. Ex verbis autem (3 v. 13): . . *ἡ στήλη* . . *ἐν ᾗ ἦν αὐτοῖς ἡ προξενία* effici videtur iam lapidi a triginta-

viris deiecto ipsa nomina et Apemanti et filiorum inscripta fuisse. Deinde dominatu XXX virorum sublato Eurypylus, unus filiorum, a senatu petiit, ut proxenia ipsius fratrumque (nam pater interea mortuus fuisse videtur, ut recte notat Sauppius) redintegraretur, id quod senatus solus concedere nullo negotio potuit, quia Eurypylus suis sumptibus (v. 16: *τέλεσι τοῖς Εὐρυπύλου*) pilam restituit. Et hoc quidem gravissimum est: sufficit in re olim constituta senatus solius decretum, quo scilicet onus aerario publico nullum imponatur. Potest igitur senatus suo nomine pilam restituendam permittere privato homini: dummodo ne ad eam faciendam rei publicae sumptibus opus sit. Quamquam idem etiam ab ipso populo concedi non miramur: ut fit II 11 de Phaselitis, qui tamen ipsi inscribendi sumptus solvunt. Neque enim Hartelio (l. l. p. 158) concedo senatus illud esse decretum: quod quidem praescriptum habeat *ἔδοξεν τῇ βουλῇ καὶ τῷ δήμῳ*. In senatus decretis 1 c Pythophanes (Hartel. 160), 25 Sthorynes (Foucart. l. l. 121), 29 Echembrotus, etiam 30 Phocenses (Hartel. 158) lapidum inscribendorum sumptus ipsi sustinent. Contra 89, ubi v. 17 legitur: *ἐ[ς δὲ τὴν ἀναγραφὴν] τῆς στήλης δοῦναι τὸν ταμ[ίαν τοῦ δήμου...*, pilam inscribi populus iubet, cf. v. 14: *ἀ[ναγράψαι δὲ καὶ τὴν] προξενίαν, ἐὰν καὶ τῷ δήμ[ῳ δοκῇ...*

Quodsi quae de proxenia statui probabilia sunt, idem fere de illo honore existimandum est, qui *σίτησις ἐν πρυτανείῳ* vocatur. Quamquam enim quin psephismate populi opus fuerit ad eum conferendum, dubitari nequit, tamen sicubi ad posteros quoque eius qui honore affectus est spectabat, ei patre mortuo senatum dumtaxat adire debebant, ut honor ille publice sibi deferretur. Et cuivis, credo, satis perspicuum erit tale donum a civitate semel decretum senatui soli licuisse ei, quicunque legitime petebat, praebere. Quare verbis documenti, quod in Lycurgi oratoris vita nobis traditur (Westermann. biogr. p. 377): *Λυκόφρων Λυκούργου Βουτάδης ἀπεγράψατο αὑτῷ εἶναι σίτησιν ἐν πρυτανείῳ κατὰ τὴν δωρεὰν ὑπὸ τοῦ δήμου Λυκούργῳ Βουτάδῃ*, manifestum est Lycophronem a senatu honorem illum scripto pe-

tere. Nam quoniam populiscito, quod ipso illo loco legitur, Lycurgi posterorum maximo cuique natu epulae in prytaneo decretae erant, Lycophro duobus maioribus fratribus, qui filios non habuerunt, mortuis cum iam unus superstes ex ordine vocetur (cf. Schoell. Herm. VI p. 52 sq.) a senatu epulandi honorem scripto petit, quem ei senatum tribuisse ex eis quae citavi cognoscitur.

Imaginum quoque collocandarum potestatem si quando petebatur senatus concedere potuit, nisi res aerario sumptui esset. Huc pertinet II 475, quo titulo synodo cuidam Iovis Xenii, quam peregrini viri Deli ut videtur constituerant, petenti a senatu permittitur, ut Diodorum Atheniensem proxenum suum et *ἐπιμελητὴν λιμένος* imaginis in curia ipsius Diodori ponendae honore afficiat. Boeckhius (C. I. G. 124) adnotat haec: 'senatui a populo (i. e. lege) eam fuisse auctoritatem datam, ut tales honores concederet, ex multis patet inscriptionibus'. Habeo haec quamvis posterioris temporis exempla, quae exscribam: 481 v. 36 sq. 482 v. 34 sq.: *καὶ παρακαλοῦσι* (ephebi: eadem vox n. 475 extr. usurpatur) *τὴν βουλὴν ἐπιχωρῆσαι ἑαυτοῖς ποιήσασθαι γραπτῆς εἰκόνος ἐν ὅπλῳ ἀνάθεσιν* . . ., 487 v. 11 eandem formulam legimus de prytanibus usurpatam. Imperatorum aetate vel senatus cum populo et Areopago (III 622. 679. 716, ut tribus his exemplis defungar) vel cum Areopago (693) vel Areopagus solus (731. 746. 751. 908) vel denique senatus solus imaginis honorem concedunt: 697. 965. 1062: *κατὰ τὸ ἐπερώτημα τῆς βουλῆς τῶν Φ.* 708. 809 (cf. Dittenbergerus ad h. l.): *ψηφισαμένης τῆς βουλῆς*[1]).

---

1) Similiter titulo cuidam Troezenio (Le Bas-Foucart. 158a), quo Agasiclides sacerdos statuam dei alicuius urbis nomine collocat, subscribitur *Ψ(ηφισαμένης) Β(ουλῆς)* vel *Ψ(ηφίσματι) Β(ουλῆς)*: '*le décret du conseil est relatif à l'emplacement accordé à Agasiclides pour y élever la statue du dieu dont il fait don à la ville*'. cf. ibid. 125a (titulus Argivus): *ψηφίσματι βουλῆς Σπένδοντα Ζωπύρου τὸν ἰσαγωγέα ἀρετῆς ἕνεκα.* cf. C. I. G. 1125. 1139. 1164. 1186. 1220. 1221. 1222 etc. Beulé études sur le Péloponn. p. 229. — Notum est saepissime in inscriptionibus latinis inveniri L. D. S. C = 'loco dato senatus consulto', vel L. D. D. D = 'loco dato decreto decurionum'.

Huic rei finitimum est, quod senatus ipse imagine collocanda quemlibet hominem honorare potest: quemadmodum populus sive solus sive cum utroque senatu sive cum alterutro neque minus Areopagus sive solus sive cum senatu statuas ponere solent. Qua in re si senatus una cum populo aut Areopago honorem tribuit, id totius civitatis nomine fieri consentaneum est: sin aliter, suo ipsius nomine. Et id ipsum quidem in C. I. A. vol. III his locis legimus: 574. 584. 594. 599. 655. 692. 852. 912. Porro Cumanudis in *Ἀθηναίῳ* VI 371 hunc titulum edidit (*'ἔχει . . . γράμμασι τῶν Ῥωμαίων χρόνων'* Cuman.): *ἡ βουλ[ὴ] Σωσικλῆν Σφή[τ-τιον] ἰαθέντα Ἀσκληπιῷ καὶ Ὑ[γιείᾳ] προστάξαντος τοῦ θεοῦ*, et adnotavit: *'διὰ τί δὲ ἡ βουλὴ ἀνέθηκε τὸν Σωσικλῆν ἰαθέντα καὶ ὄχι αὐτὸς ἑαυτόν; ἴσως διότι ἦν πολλοῦ ἄξιος τῇ πόλει, πένης δέ'*. Quibus non habeo quae addam.

Denique quodammodo huc spectat, quod in decretis honorariis senatus proxenis vel civibus adscripticiis vel omnino hominibus bene meritis prospicere una cum strategis iubetur. Sic C. I. A. IV 94, ubi proxenia quibusdam viris datur, legimus: *ὡς [ἂ]ν μὴ ἀδ[ικῆται τούτ]ων [μη]δ[εί]ς, οἱ στρατη-[γοί, οἳ] ἂν ὦσι [ἑκά]στοτε, καὶ ἡ [βουλὴ] ἡ ἀεὶ βουλεύου[σ]α καὶ οἱ πρ[υ]τά[νεις ἑκά]στοτε ἐ[πι]μελέσθων αὐ[τῶν]*. Simili modo scriptum est I 64. II 209, praeterea II 69. 115. 121, quibus lapidibus cives quidam fiunt. II 1 c (add. p. 396): *[ὅπως δ' ἂν] ταῦτα γίγνηται* (quae de Pythophane proxeno decreta sunt), *τοὺς στ[ρατηγοὺς τοὺς αἰ]εὶ στρατηγοῦντας ἐπιμ[έ-λεσθαι καὶ τὴ]ν βου(λ)ὴν τὴν ἀεὶ βουλεύ[ουσαν]*. cf. 42; 40: *ἐπιμελεῖσθαι δὲ αὐ[τοῦ] τοὺς στρατηγοὺς καὶ τοὺς πρ[υτάν]εις καὶ τὴν βουλ[ὴ]ν τὴν ἀεὶ [βουλ]εύουσαν ἐάν του δέηται*, cf. 119. 124; 55: *ἐπιμελεῖσθαι [δὲ α]ὐτοῦ* (Menelai Pelagonis) *καὶ τοὺς στρατηγοὺς τοὺς ὄντας περ[ὶ Μα]κεδονίαν, ὅπως ἂν ἐάν του δέηται τυγχά[νῃ]*, ubi cur strategi soli Menelao consulere iubeantur facile est intellectu[1]. Senatus solus sine

[1] Menelaus hoc loco *εὐεργέτης* vocatur; postea eundem civem Atheniensem factum esse ex lapide Iliensi cognoscimus, cf. Dittenberger. in satura philologa H. Sauppio oblata p. 43. 57.

strategis II 39 sic memoratur: [*καὶ τὴν βουλὴν τὴν*] *ἀεὶ βουλεύουσαν ἐπιμεληθῆνα*]*ι Μελανθίου* (proxeni) *καὶ τῶν ἐγγόνων ὅ*]*του ἂν δέωνται.* I 59 haec verba: [*καὶ ἐπιμέλ*]*εσθαι αὐτῶν τὴν βουλὴν τὴν ἀεὶ β*[*ουλεύουσαν κα*]*ὶ τοὺς πρυτάνεις, ὅπως ἂν μὴ ἀδ*[*ικῶνται*], ad Thrasybulum, quia a. 411 Phrynichum, qui in quadringentis fuerat, occiderat (Lys. c. Agorat. 71) civitate donatum et ad complures alios peregrinos homines *εὐεργέτας* pronuntiatos spectant. Quibus lapidibus omnibus senatus et strategi viros, qui ornantur, adiuvare, ab iniuriis defendere, si qua re indigeant, ut illam adipiscantur, operam dare iubentur. Quod qua ratione fieri potuerit, huiusmodi titulis docemur: II 115: *εἶναι δὲ αὐτῷ πρόσοδον καὶ πρὸς βουλὴν καὶ πρὸς δῆμον ὅταν δέηται, καὶ τοὺς πρυτάνεις οἳ ἂν πρυτανεύωσιν ἐπιμελεῖσθαι ὅπως ἂν προσόδου τυγχάνῃ.* II 41: *εἶναι δὲ.. Ἐπιχάρει* [*αὐτῷ καὶ*] *ἐκγόνοις καὶ πρόσοδο*[*ν πρὸς τὴν β*]*ουλὴν καὶ τὸν δῆμον* [*ἐάν του δέων*]*ται· οἱ δὲ πρυτάνεις* [*οἱ ἀεὶ πρυτα*]*νεύοντες προσαγόντω*[*ν*]. Cf. Hartel. *Att. Staatsr.* 175 sq. Koehler. *Mittheil. d. Ath. Inst.* I 192 not. Eo igitur valet illa clausula, ut publice caveatur eorum saluti, quibus proprium ius tribuitur, fidesque publica addatur impetraturos eos si quid iusto modo a senatu aut a magistratu petierint.

---

## DE IURISDICTIONE SENATUS.

In titulo C. I. A. I 59 Glaucippo archonte a. 409 scripto v. 39 sqq. haec leguntur: [*περὶ*] *δὲ τῶ*[*ν*] *δωροδοκησ*[*άντων ἐπὶ τῷ ψηφίσματι*], *ὃ ἐψηφ*[*ί*]*σθη Ἀπολλ*[*οδώρῳ, τὴν βουλὴν βουλεῦσ*]*αι ἐν τῇ πρώτῃ ἕδ*[*ρᾳ ἐν τῷ βουλευτηρί*]*ῳ καὶ κολάζειν τῶν* [*δ*]*ωρο*[*δοκησάντων καταψ*]*ηφιζομένην, καὶ εἰς δι*[*κ*]*ασ*[*τήριον αὐτοὺς εἰσάγει*]*ν, καθότι ἂν δοκῇ αὐτῇ*[*ι*]. Apollodorus erat Megarensis, cui propter Phrynichum interfectum a. 411 una cum Thrasybulo priori quadam contione populus civitatem dederat[1]). Quod decretum cum per cor-

---

1) Cf. Kirchhoff. in *Monatsber. d. Berl. Akad.* 1861 p. 608.

ruptos rogatores obtinuisse coargueretur, postea irritum est factum. Quare verbis, quae exscripsi, populus senatui imperat, ut inquirat in eos, qui ad rogationem de civitate Apollodori ferendam pecuniam acceperint, et de iis aut ipse iudicet, ita tamen, ut suam multandi potestatem non transgrediatur, aut eos iudicio heliastarum iudicandos tradat. Iudicio autem senatus procul dubio eos tradebat, quibus maiorem multam quam quingentarum drachmarum imponendam esse censeret. Constat enim eum, qui *δωροδοκίας* accusatus et condemnatus erat, aut pecunia aut publicatione bonorum aut morte multatum esse [1]), senatum autem multam quingentis drachmis maiorem nemini imponere potuisse [2]). Ea autem est ratio *εἰσαγγελίας* quae vocatur in senatu actae, qualem describit [Demosth.] adv. Euerg. et Mnesib. 43, ubi orator, postquam *εἰσαγγελίαν* suam in Theophemum delatam a senatu acceptam esse dixit, sic pergit: *καὶ ἐπειδὴ ἐν τῷ διαχειροτονεῖν ἦν ἡ βουλὴ πότερα δικαστηρίῳ παραδοίη ἢ ζημιώσειε ταῖς πεντακοσίαις, ὅσου ἦν κυρία κατὰ τὸν νόμον* [3]) . . . Certe cum his plane consentiunt illa decreti verba, quae supra attuli: *καὶ κολάζειν τῶν δωροδοκησάντων καταψηφιζομένην καὶ εἰς δικαστήριον αὐτοὺς εἰσάγειν καθότι ἂν δοκῇ αὐτῇ.* Nisi quod singulare in hac Apollodori causa accidit, quod populus ipse actionem *δωροδοκίας* ad senatum fert eique iudicandam mandat.

Senatus, si *εἰσαγγελία* ad eum delata erat, quaestionem habebat, reus utrum crimine teneretur necne, cuius rei exemplum eadem oratio illa in Euergum et Mnesibulum habita praebet (42): *γενομένης τοίνυν τῆς κρίσεως τῷ Θεοφήμῳ ἐν τῇ βουλῇ κατὰ τὴν εἰσαγγελίαν, ἣν ἐγὼ εἰσήγγειλα, καὶ ἀποδοθέντος λόγου ἑκατέρῳ καὶ κρύβδην ψηφισαμένων τῶν βουλευτῶν,*

---

[1]) Cf. Meier.-Schoemann *d. Att. Proc.* 352.

[2]) Cf. Siegfried de multa quae *ἐπιβολή* vocatur (Berol. 1876) p. 26.

[3]) Cf. Poll. VIII 51: *περὶ ὧν οὐκ εἰσὶ νόμοι, ἀδικῶν δέ τις ἁλίσκεται ἢ ἄρχων ἢ ῥήτωρ, εἰς τὴν βουλὴν εἰσαγγελία δίδοται κατ' αὐτοῦ, κἂν μὲν μέτρια ἀδικεῖν δοκῇ, ἡ βουλὴ ποιεῖται ζημίας ἐπιβολήν, ἂν δὲ μείζω, παραδίδωσι δικαστηρίῳ.*

*ἑάλω ἐν τῷ βουλευτηρίῳ καὶ ἔδοξεν ἀδικεῖν.* Quodsi ita senatus iudicabat eum, contra quem actio delata erat, iudicio esse tradendum, eiusmodi praeiudicium senatus nominabatur *κατάγνωσις.* De quo cf. Timocratis legem apud Demosth. adv. Timocr. 63: *ὁπόσοι ⟨ἂν⟩ Ἀθηναίων κατ' εἰσαγγελίαν ἐκ τῆς βουλῆς ἢ νῦν εἰσὶν* (leg. *ὦσιν*) *ἐν τῷ δεσμωτηρίῳ ἢ τὸ λοιπὸν κατατεθῶσι, καὶ μὴ παραδοθῇ ἡ κ α τ ά γ ν ω σ ι ς αὐτῶν τοῖς θεσμοθέταις ὑπὸ τοῦ γραμματέως τοῦ κατὰ πρυτανείαν κατὰ τὸν εἰσαγγελτικὸν νόμον* . . . et lexicon Pollucis (VIII 88), ubi de thesmothetis dicitur: *εἰσάγουσι δὲ* (sc. *εἰς τὴν ἡλιαίαν*) *καὶ δοκιμασίαν ταῖς ἀρχαῖς καὶ τοὺς ἀπεψηφισμένους καὶ τὰς ἐκ τῆς β ο υ λ ῆ ς κ α τ α γ ν ώ σ ε ι ς.* Quamvis autem de ipsa *εἰσαγγελίᾳ* praeiudicium tantum, non iudicium esset penes senatum, tamen *καταγνώσεις* senatus magnum pondus habuisse consentaneum est, cum et contio et iudices rationem habere auctoritatis senatus soliti sint. Quae si tenemus, facile lapidis, qui foedus Atheniensium et Ceorum anno 363/2 factum continet (*Mittheil. d. Athen. Instit.* II 143 v. 28 sqq.), haec verba intelleguntur: *ἐπειδὴ δὲ Ἰουλιητῶν οἱ παραβάντες τοὺς ὅρκους . . . . τὰς οὐ[σ]ίας ἐδήμευσαν . . . Σατυρίδου καὶ Τιμοξένου καὶ Μιλτιάδου, ὅτι κατηγόρουν Ἀντιπάτρου ὅτε ἡ βουλὴ ἡ Ἀθηναίων κατέγνω αὐτοῦ θάνατον ἀποκτείναντος τὸν πρόξενον τὸν Ἀθηναίων.* Ut par fuit Antipatrum Ceum, cum proxenum Atheniensium necasset, Athenis accusari condemnarique, ita apparet illum senatus solius iudicio condemnari non potuisse. Quare *ἡ κατάγνωσις τῆς βουλῆς* ne hic quidem est nisi praeiudicium senatus, priusquam Antipatri rem ad iudices deferret, factum. Nihil enim nobis restat nisi ut accusationem Antipatri per *εἰσαγγελίαν* factam statuamus, quam plerumque ad extraordinaria delicta punienda adhibitam esse scimus[1]. Nemo autem non perspicit necem proxeno Atheniensi a cive aliquo Ceo illatam extraordinarium scelus fuisse. Sane illud notatu dignum est, quod senatus, qui in *εἰσαγγελίας* actione accusatoris partes agit, idem hoc loco poenam reo irrogasse

---

1) Meier-Schoemann p. 262.

dicitur (*κατέγνω αὐτοῦ θάνατον*): nisi forte de aestimatione poenae (quod est *τίμημα*) ab accusatore rite proposita cogitandum est.

Eadem ratione nescio an Demosthenis quoque verba interpretanda sint, quae in oratione contra Midiam habita § 116 inveniuntur. Demosthenes strictim de Nicostrato Atheniensi ab Aristarcho occiso loquitur, qua in re de Midia haec profert: *τῆς δὲ βουλῆς περὶ τούτων καθημένης καὶ σκοπουμένης* (de Aristarcho inter sicarios reo) *παρελθὼν οὗτος* (*Μειδίας*) '*ἀγνοεῖτ'*, *ἔφη*, *ὦ βουλή*, *τὸ πρᾶγμα; καὶ τὸν αὐτόχειρα ἔχοντες* (*λέγων τὸν Ἀρίσταρχον*) *μέλλετε καὶ ζητεῖτε καὶ τετύφωσθε; οὐκ ἀποκτενεῖτε; οὐχὶ συλλήψεσθε;* Equidem cum Meiero faciam, qui editionis Midianae p. 154 ad illum locum adnotat: 'errat schol., quod senatum, apud quem ea acta esset causa, Areopagum est arbitratus, qui fuit quingentorum'[1]. Hunc enim ipsa vox *ἡ βουλή* significare videtur, cum Areopagum plerumque *ἡ βουλὴ ἡ ἐξ Ἀρείου πάγου* appellari constet. Praeterea *γραφὴ φόνου* non apud Areopagum ipsum, sed apud archontem *βασιλέα* intendebatur[2]; *εἰσαγγελία* autem statim ad senatum quingentorum deferebatur. Quodsi voce *βουλή* senatum quingentorum significari credimus, fieri non potest, quin etiam hunc parricidam per *εἰσαγγελίαν* accusatum esse iudicemus. Nam quamquam nemo Atheniensium nesciebat a senatu solo capitis quemquam damnari non posse, tamen Midiam ita loquentem facere licebat Demostheni per exaggerationem, quia exspectandum erat, si senatus per praeiudicium Aristarchum condemnasset, fore ut is summum supplicium subiret[3].

Clarissimum denique *εἰσαγγελίας* exemplum causa Antiphontis oratoris, Archeptolemi, Onomaclis prodit, quam a.

---

1) Alia A. Schaeferi opinio est (*Demosth. u. s. Zeit.* II 97): '*Der Rath, welcher den Thäter erst zu ermitteln suchte, ist schwerlich der Rath der* 500, *bei dem das* § 121 *eingelegte Zeugniss eine Eisangelie wider Aristarchos angebracht sein lässt, sondern der Areopag, wie der Scholiast zu* § 117 *richtig bemerkt*'.

2) Cf. Susemihl. in annal. philol. 1865 p. 368.

3) Susemihl. ib. p. 369.

411 hunc in modum peractam esse documentum vitae Antiphontis Pseudoplutarcheae adiectum (Westerm. biogr. p. 233 sq.) demonstrat. Postquam strategi de proditoribus senatui indicium fecerunt, ille decrevit, ut illi in vincula conicerentur et heliastae de iis iudicarent: accusare iubentur strategi cum decem senatoribus a strategis, ut synegororum vice fungantur, eligendis[1]). Id ab usitato more abhorret: neque enim synegori ab accusatoribus vel delatoribus, ut in illa causa a strategis, eligi solebant. Iudices Antiphontem et Archeptolemum perduellionis condemnaverunt. Ceterum ex hac actione Fraenkelius, qui *εἰσαγγελίαν* a senatu ad populum neque vero statim ad iudices ferri statuit (*Att. Geschworenengér.* p. 74), collegit illo tempore normas *εἰσαγγελίας* nondum stabilitas fuisse (ib. p. 86). Atqui senatum res per denuntiationem, qualis postea *εἰσαγγελία* a Fraenkelio instituta esse perhibetur, sibi delatas nonnunquam statim heliastis mandavisse non solum ex quattuor illis locis, quos supra memoravimus, elucet: [Demosth.] c. Euerg. et Mnesib. 43. Demosth. c. Timocr. 63. Polluc. VIII 51. 88, sed etiam ex Lysiae or. c. Nicomach. § 10 patet: *Σάτυρος δ' ὁ Κηφισιεὺς βουλεύων ἔπεισε τὴν βουλὴν δήσαντας αὐτὸν (Κλεοφῶντα) παραδοῦναι δικαστηρίῳ*, ubi Cleophontem per *εἰσαγγελίαν* accusatum esse statuamus necesse est. Atque idem valet de loco orationis in senatu habitae [Demosth.] de corona trierarch. 4[2]): *ψήφισμα γὰρ ὑμῶν ποιησάντων, ὃς ἂν μὴ πρὸ τῆς ἕνης καὶ νέας ἐπὶ χῶμα τὴν ναῦν περιορμίσῃ, δῆσαι καὶ δικαστηρίῳ παραδοῦναι, καὶ ταῦτα κυρωσάντων*, quod psephisma senatus esse Kirchhoffius demonstra-

---

1) *περὶ τῶν ἀνδρῶν, οὓς ἀποφαίνουσιν οἱ στρατηγοὶ πρεσβευομένους εἰς Λακεδαίμονα . . . Ἀρχεπτόλεμον καὶ Ὀνομακλέα καὶ Ἀντιφῶντα συλλαβεῖν καὶ παραδοῦναι* (codd. *ἀποδοῦναι*) *εἰς δικαστήριον, ὅπως δῶσι δίκην· παρασχόντων δ' αὐτοὺς οἱ στρατηγοὶ καὶ ἐκ τῆς βουλῆς οὕστινας ἂν δοκῇ τοῖς στρατηγοῖς μέχρι ι' . . . προσκαλεσάσθων δ' αὐτοὺς οἱ θεσμοθέται ἐν τῇ αὔριον ἡμέρᾳ, καὶ εἰσαγόντων ἐπειδὰν αἱ κλήσεις ἐξήκωσιν εἰς τὸ δικαστήριον περὶ προδοσίας κατηγορεῖν τοὺς ᾑρημένους συνηγόρους καὶ τοὺς στρατηγοὺς καὶ ἄλλος ἄν τις βούληται.*

2) Cf. ib. 8.

vit[1]. Etiam Andoc. de myst. 17, ubi Speusippo rogante senatus quos mysteria aperuisse servus quidam denuntiaverat, ut iudicio tradantur decernit[2] huc referri potest: quamquam et dixerit quispiam, quia *αὐτοκράτωρ* factus esset senatus (§ 15), eum ita egisse et Speusippum *παρανόμων* accusatum damnatumque esse additur. Sed quos attuli loci ad confirmandam opinionem meam sufficiunt.

Iam in quaestione de senatus potestate iudiciaria ne inscriptiones quidem navales a Boeckhio editae neglegendae sunt. Atque coercitionem senatus illustrat populiscitum anni Ol. 113, 4 de classi in mare Adriaticum mittenda (p. 466), ubi iubetur: *τὴν δὲ βουλὴν τοὺς πεντακοσίους ἐπιμελεῖσθαι τοῦ ἀποστόλου, κολάζουσαν τοὺς ἀτακτοῦντας τῶν τριηράρχων κατὰ τοὺς νόμους*. Cum senatui cura classis mittendae committeretur, simul necesse erat trierarchos neglegentes aut dicto non audientes multandi potestatem ei dari. Semel memoratur *εἰσαγγελία ἐάν τις ἀδικῇ περὶ τὰ ἐν τοῖς νεωρίοις*: p. 540. Quo loco Boeckhius (p. 64) exemplo utitur, quod supra commemoravi, orationis c. Euerg. et Mnesib. 42, ubi Theophemo *εἰσαγγελίᾳ* in eum facta prytanes diem dicunt ob armamenta non reddita (*διότι τὰ σκεύη οὐκ ἀπεδίδου*).

Gravius est, quod secundum inscriptiones navales anno Ol. 113, 3 senatus exequitur id, quod ferme novimus iudicum fuisse. Sic enim verba (p. 438 sq. et 495 sq.): *οἵδε τῶν τριηράρχων, ὧν ἐ δ ί π λ ω σ ε ν ἡ β ο υ λ ὴ ἡ ἐπὶ Χρέμητος ἄρχοντος* (Ol. 113, 3) *τὴν τριήρη, ἣν εἶχεν ἕκαστος αὐτῶν, ἀργύριον κατέβαλον τοῖς ἀποδέκταις* . . .[3] explicanda esse cum Koehlero (*Mittheil. d. Ath. Inst.* IV 83 sq.) censeo. Utroque loco *ἐπιμεληταὶ τῶν νεωρίων* eos trierarchos enumerant, qui triremis postquam 'a senatu duplicata est' pecuniam solverunt. Quid autem significat *διπλοῦν τὴν τριήρη*?

---

[1]) *Üb. die Rede v. trierarch. Kranze* in *Abhandl. d. Berl. Akad.* 1865 p. 74 sqq.

[2]) *Σπεύσιππος δὲ βουλεύων παραδίδωσιν αὐτοὺς τῷ δικαστηρίῳ.* Perperam de hoc loco disputavit Fraenkel. l. c. p. 88 sq.

[3]) Cf. p. 513 et 544.

Constat trierarchis Atticis alveos navium a civitate traditos esse, quos si trierarchia peracta usui iam non idoneos domum reportabant, rei facti sunt iudicesque decernebant, utrum novi faciendi iis imperarentur necne. Sin vero trierarchus quamvis a iudicibus condemnatus tamen novam navem non instruxerat, iterum in ius vocatus duplici poena multabatur; cf. locum quem Koehlerus citat (*Beilage* 3, A col. II v. 66 sqq.): *οὗτος* (Pausanias) *εἰσαχθεὶς εἰς τὸ δικαστήριον ὦφλεν δύο τριήρεις καινὰς ἀποδοῦναι τῆ(ι) πόλει.* Anno autem Ol. 113, 3 pro iudicibus senatui mandatum esse videtur a populo ius triremem duplicandi trierarchorum, qui neque novam triremem aedificassent neque pro triremi certam summam solvissent. Quod cur factum sit, Koehlerus vidit, cum adnotat: '*Offenbar weil die anhängigen Fälle sich gehäuft und zu zeitraubenden Verhandlungen Veranlassung gegeben hatten*'. Sane dubitari potest num verba *οὗτος εἰσαχθεὶς εἰς τὸ δικαστήριον κτλ.* ad eandem rem pertineant atque illa *τριηράρχων, ὧν ἐδίπλωσεν ἡ βουλὴ . . . τὴν τριήρη.* Omnino enim mirum videri potest quod in i u d i c i o poena duplicata esse dicitur. Nam siquis debitor publicus intra certum temporis spatium debitum non solvebat, ad duplicandam summam iudicum sententia non amplius opus erat: immo ultro debitori duplum erat pendendum. Quod ita esse ex compluribus locis perspicitur: cf. Andoc. de myst. 73: *οἱ μὲν ἀργύριον ὀφείλοντες τῷ δημοσίῳ . . . τούτοις ἡ μὲν ἔκτισις ἦν ἐπὶ τῆς ἐνάτης πρυτανείας, εἰ δὲ μή, διπλάσιον ὀφείλειν.* [Demosth.] c. Neaer. 7: *μὴ ἐκτισθέντος δὲ τοῦ ὀφλήματος ἐπὶ τῆς ἐνάτης πρυτανείας διπλοῦν ἔμελλεν ἔσεσθαι τὸ ὄφλημα καὶ ἐγγραφήσεσθαι Ἀπολλόδωρος* (apud practores) *τριάκοντα τάλαντα ὀφείλων τῷ δημοσίῳ* (pro quindecim). [Demosth.] c. Theocrin. 1: *τοῦ πατρὸς ἡμῶν . . ἀτυχήσαντος πρὸς τὴν πόλιν καὶ ὀφλόντος δέκα τάλαντα, καὶ τούτου διπλοῦ γεγενημένου . . .* Harpocr. s. *ἀδικίου*: *ἔστι δὲ ὄνομα δίκης. ἀποτίνυται δὲ τοῦτο ἁπλοῦν, ἐὰν πρὸ τῆς ἐνάτης πρυτανείας ἀποδοθῇ· εἰ δὲ μή, διπλοῦν καταβάλλεται.* Quibus locis iudicii nulla fit mentio. Sed in rebus navalibus aliter institutum fuisse videtur. Nam armamenta non red-

dita in iudicio esse duplicata primum probat locus p. 449 sq.: *σκευῶν ὧν ὤφειλε Δημόνικος . . . καὶ εἰσ[α]χθεὶς εἰς τὸ δικαστή[ριον] ὦφλεν τὴν διπλασίαν.* Similia psephisma senatus, quod p. 534 sqq. legitur, suppeditat: *ἐπειδὴ Σωπόλιδος . . . κατέγνωσαν οἱ δικασταί, ὅτι οὐκ ἀπεδίδου τὰ . . σκεύη . . καὶ ἐτίμησαν πλέονος ἢ τοῦ διπλασίου* (cf. p. 212) [1]. Cf. *Mittheil.* l. l. A col. I v. 68 sqq., col. II v. 6 sqq. 13 sqq. 28 sqq. 60 sq. B col. I v. 61 sqq. Eadem igitur ratione Pausaniae actio intellegenda est, quamvis in ea voces *διπλοῦν* vel *διπλασία* (sc. *τιμή*) adhibitae non sint. Neque enim ipsa re formula *ὦφλεν δύο τριήρεις καινὰς ἀποδοῦναι* (A col. II v. 68 sqq.) differt ab ea, qua triremis alicuius trierarchi duplicari dicitur.

---

## DE SENATU OPERIBUS PUBLICIS PRAEFECTO.

Verba quae citavi (*Seeurk.* p. 466): *κολάζουσαν (τὴν βουλὴν) τοὺς ἀτακτοῦντας τῶν τριηράρχων κατὰ τὸν νόμον,* si componimus cum loco decreti de reficiendis munimentis Athenarum C. I. A. II 167 v. 25: — — *ουσαν* (*συλλαβ*]*οῦσαν* conicit Kirchh.) *κολ*[*άζειν τὸν*] *μὴ πειθαρχο*[*ῦ*]*ν*[*τα*], hic quoque de senatu agi apparet. Itaque Siegfriedio (de multa quae *ἐπιβολή* dicitur p. 26 sq.) assentior, qui sic scribit: ‘Quo ex plebiscito quamvis mutilato hoc tamen cernitur totius operis custodiam senatoribus traditam iisdemque concessum fuisse, ut eos architectos, qui dicto non essent audientes, redigerent ad obsequium multis impositis’. Neque vero illud *τὸν μὴ πειθαρχοῦντα* ad solos architectos (v. 32 et 117), i. e. secundum Koehlerum ad architectum a populo creatum (v. 6) et curatores (*ἐπιστάτας*) [2], sed etiam ad conductores,

---

[1] p. 388 et 390 hoc tantum invenitur: *καὶ τὴν διπλασίαν.*

[2] Cf. C. I. A. I 322 in., ubi tres epistatae unusque architectus Erechtheo aedificando praesunt.

quibus totum opus (per poletas, cf. v. 36) elocabatur, pertinere arbitror; namque senatui licebat conductores rerum publicarum, si suo tempore pecunias non solvebant, in vincula conicere (v. Boeckh. *Staatshaush.* I 457): eidemque curatores operum (*ἐπιστάτας*) subiectos fuisse statim videbimus.

Omnino senatum operibus publicis ex officii ratione providisse diserte auctor libri de rep. Athen. testatur his (III 2): *τὴν δὲ βουλὴν . . νεωρίων ἐπιμελεῖσθαι καὶ ἱερῶν* (sc. *δεῖ*), ubi *ἱερά* inprimis intelleguntur templa, sacella.

Idem evincitur tituli C. I. A. I 301, quo curatores operis alicuius publici rationes reddunt, his vocibus: *τοῖς ἐπιστάτησι, οἷς Ἀντικλῆς ἐγραμμάτευ[εν], ἐπὶ τῆς τετάρτης καὶ δεκάτης βουλῆς, ᾗ Μεταγένης πρῶτος ἐγραμμάτευε, ἐπὶ Κράτητος ἄρχοντος Ἀθηναίοισιν* (Ol. 86, 3), *λήμματα τοῦ ἐνιαυτοῦ τούτου τάδε* . . . Senatus igitur anni Ol. 86, 3 quartus decimus numeratur, nimirum ab eo anno, quo opus incohatum est (v. Kirchhoff. ad l. l.). Qua de re Koehlerus (*Urk. u. Untersuch. z. Gesch. d. delisch-attischen Bundes* p. 108) haec profert: '*Der 14. Rath ist gezählt von dem Anfang der auf Grund eines Beschlusses des Rathes angeordneten und unter der Oberaufsicht desselben ausgeführten Bauten*'. Atque custodia operis sane senatui commissa esse videtur: minime vero ea erat potestate praeditus, ut aliquod aedificium publicum exstrui suo nomine iubere posset. Unde eundem Koehlerum alio quoque loco errasse censeo: qui cum Hermae vol. II 21 sq. tituli fragmentum publici iuris fecit, qui rationem de Erechtheo post incendium (anni Ol. 93, 3) renovato continet, ubi v. 5 agnoscitur: [*ψη*]*φισαμένης τῆς β*[*ουλῆς*] . . , inde collegit hanc aedem restaurari senatum suo nomine iussisse. Sed quamvis ad quam rem senatus consultum spectaverit ex lapide valde mutilo cognosci nequeat, tamen ut Erechtheum renovaretur populum tantum edicere potuisse persuasum mihi est.

Aliter res se habet C. I. A. II 489 b (add. p. 420), quem titulum Koehlerus primo a. Ch. saeculo attribuit. Decretum est de restaurando sacello Aesculapii et Hygieae a senatu factum, postquam sacerdos numinum illorum ab eo petiit, ut

illud suis sumptibus restaurare sibi liceret [1]). Hac enim ratione cum aerario publico parceretur, senatus ultro sacerdoti concedere potuit, ut templum illud renovaret.

---

# DE SENATUS IN SOCIORUM CENSU INSTITUENDO PARTIBUS.

A quibus collegiis socii foedere Deliaco cum Atheniensibus iuncti saeculo a Ch. n. quinto censeri soliti sint, ex his locis cognoscimus. Auctor libelli de republica Athen., ubi de heliastarum negotiis agit, haec dicit (III 5): *πολλὰ ἔτι πάνυ παραλείπω, τὸ δὲ μέγιστον εἴρηται, πλὴν αἱ τάξεις τοῦ φόρου· τοῦτο δὲ γίγνεται ὡς τὰ πολλὰ δι᾽ ἔτους πέμπτου.* Deinde C. I. A. I 266 legimus: *[πόλεις, ἃς ἡ] βουλὴ καὶ οἱ πεντακόσιο[ι οἱ ἡλιασταὶ ἔτ]αξαν*, quo titulo collato Schoellius (in Commentat. philol. in hon. Mommseni p. 468) recte, ut opinor, ib. 37 v. 47 sq. sic redintegravit: *κ[ατὰ τάδε ἔτα]ξεν τὸμφό[ρον τῆ]σι πόλεσιν ἡ [β]ουλ[ὴ] ἧ [Πλ]ειστίας π[ρῶτος ἐγραμμ]ά[τευε καὶ ἡ ἡλιαία, ἐ]πὶ Στρατοκλ[έους ἄ]ρχοντος.* Denique praeter senatum iudicesque *τάκται* et nr. 37 memorantur et nr. 266: *[πόλεις, ἃς ἔτ]αξαν οἱ τάκται.* Quo vero negotiorum ordine senatus, iudices, tactae censum fecerint, decreto C. I. A. I 37 de censu Ol. 88, 4 instituendo singillatim exponitur. Atque Koehlerus rectissime cum censu tributi eam rationem, qua ab Atheniensibus novae leges ferebantur, comparat (*Urk. u. Unters. üb. d. del.-att. Bund* p. 66 sq.): senatus enim quin certae atque constantes in legibus decernendis partes fuerint non dubito, neque assentior Fraenkelio (*Att. Geschworenenger.* p. 27 sq.), qui Tisameni decreto a. Ol. 94, 2 post profligatam triginta viro-

---

[1]) Cf. C. I. G. 1111: *Λ. Σε[ξ]σ[τ]ί[λ]ιος . . . τῇ Φλιασίων πόλει τὴν ἐξέδ[ρ]αν ἐκ θεμελίων σὺν τῇ σ[τ]έγῃ κατασκευάσας ἐκ [τ]ῶν ἰ[δί]ων ἀνέθηκεν. Ψ. Β.*

rum dominationem lato (Andoc. de myst. 83 sq.) extraordinaria tantum potestate in tempus senatum ornari censet. Ego a Koehleri partibus stare malim. Neque enim quae in libro de rep. Ath. proferuntur (III 2): *τὴν δὲ βουλὴν βουλεύεσθαι* (sc. *δεῖ*) . . *πολλὰ* . . *περὶ νόμων θέσεως*, ad sola probuleumata spectare possunt: neque decreti in Demosthenis Timocratea § 27 inserti verba *τοὺς δὲ νομοθέτας εἶναι ἕνα καὶ χιλίους ἐκ τῶν ὀμωμοκότων, συννομοθετεῖν δὲ καὶ τὴν βουλήν* neglegi licet. Sed omnino Fraenkelium nimium iudicibus, parum senatui tribuisse manifestum est. Itaque res sic potius explicanda est. Populus si anno ineunte decreverat de novis legibus quae propositae erant deliberandum esse, potestatem legum sciscendarum senatui atque heliastis (sive quingentis sive mille sive etiam pluribus) committebat, qui legibus propositis examinatis ac privatorum quoque hominum consiliis perpensis aut veteres leges confirmarent aut novas ferrent. Eodem modo populum postquam decrevisset novum censum habendum esse, tactis suffragio creandis senatui iudicibus censum mandavisse Koehlerus vere iudicat (l. l. p. 137). Qua in re haud dubie a tactis tributorum summae propositae, a senatu et heliaea demum legitime ratae factae sunt. Contra Fraenkelio fides tribuenda non est cum dicat (l. l. p. 48): '*Wir sind der bestimmten Ueberzeugung, dass der Ansatz der Tributsummen in der Volksversammlung erfolgte*'. Quod ille collegit e C. I. A. I 40, cui lapidi plura decreta inscripta sunt, annis Ol. 88, 1 et 3 facta de Methonaeis, quibus populi iussu tributum ita remittitur, ut non imperetur nisi sexagesima pars quae Minervae ex tributis debetur. Atqui cum census tributorum qui proprie vocatur (*τάξις φόρου*) a. Ol. 87, 4 et 88, 4 factus sit, certe hoc loco non de Methonaeorum tributo populi suffragiis aestimando agitur, sed proprium quoddam ius iis datur tributi quale a senatu et iudicio decretum erat, partem tantum pensitandi. Hinc potius confirmatur populum participem non fuisse census aestimandi.

Contra socios ipsos in tributo statuendo Periclis quidem aetate preces proferre potuisse verba iurisiurandi, quod a. Ol. 83, 4 Chalcidenses dederunt Atheniensibus

(C. I. A. IV 27 a, v. 26 sq.): *καὶ τὸν φόρον ὑποτελῶ, ὃν ἂν πείθω Ἀθηναίους*, probare videntur (cf. Fraenkel. *Att. Geschw.* p. 44). Idem iusiurandum fragmento, quod extat C I. A. II 92, praestari Foucartus animadvertit (*Revue archéol.* XXXIII p. 261), qui illud ad Antissaeos referendum esse opinatur. Contra Kirchhoffius (C. I. A. IV p. 11) idem potius cum fragmentis tituli 61 a (ib. p. 19) coniungi voluit, quo foedus cum Selymbrianis a. Ol. 92, 4 factum continetur. Sed hoc fieri vix potest. Nam huius lapidis maior pars *στοιχηδόν* scripta est, cum in II 92 nulla plane ratio habeatur ordinis aut numeri litterarum. Deinde non crediderim erga Selymbrianos eadem clementia Athenienses usos esse, qua triginta sex annis ante erga Chalcidenses. Immo Koehlero fidem habeo, qui titulum II 92 a. Ol. 100, 3 antiquiorem haberi non posse affirmat. Neque vero eum ad condiciones posterioris societatis Atheniensium quadrare apparet. Quare mihi quidem iurisiurandi a civitate socia saeculo quinto dati exemplum postea lapidi incisum esse videtur. Etenim haud raro accidit, ut decreta lapidibus inciderentur post longum tempus quam facta sunt: cf. Kirchhoff. ad C. I. A. I 8 (v. Schoell. in Herma VI 32). 32. 283; eundem Kirchhoff. in Herm. I 15 (C. I. A. II 73). Hartel. *Att. Staatsr.* 154.

Certe fragmentum C. I. A. II 92 demonstrat rectam formulam fuisse in sociorum sacramentis saepius repetitam: *καὶ τὸν φόρον ὑποτελῶ, ὃν ἂν πείθω Ἀθηναίους*. A qua re longe diversum est quod in catalogis sexagesimae tributorum quaedam recensentur *πόλεις αὐταὶ φόρον ταξάμεναι* (cf. Fraenkel. l. l. p. 44). Boeckhio enim assentior (*Staatshaush.* II 613 sqq. v. Loeschckius de titulis aliquot Atticis. Bonn. 1876 p. 16), qui autumat has urbes praecipuo se ipsas censendi iure instrui [1]). Contra 'Atheniensibus persuadere', ut

---

[1]) Aliter Koehler. *Urk. u. Unters.* p. 137: '*Πόλεις αὐταὶ ταξάμεναι sind Städte, welche die Billigkeit der von den Schätzern aufgestellten Ansätze mit Erfolg bestritten und die von ihnen dagegen aufgestellten zur Annahme gebracht hatten*'.

tributum non nimium sibi imponerent, non privilegii nomine neque sociorum parti tantum, sed cunctis licuisse contenderim.

Deinde ut in legislatione privatis hominibus permissum erat ut rogationes ad senatum ferrent (v. p. 31), sic fieri potuisse, ut socii quoque rogatu *ἰδιωτῶν* censerentur, ex eis evincitur, quae C. I. A. I 243. 244. 256. 257 nonnullis oppidis praescripta sunt: *πόλεις ἃς οἱ ἰδιῶται ἐνέγραψαν φόρον φέρειν* (cf. Koehler. l. l. p. 137). Quodsi Loeschckius (p. 17) probabile non putat ʻeisdem civitatibus evenisse ut hac ratione pro rei natura minus usitata saepius censerentur', equidem non dubito, quin postquam semel census ille per privatos homines impetratus esset, postea formula illa, cum census retineretur, de eisdem urbibus repeti solita sit, non quo iterum atque iterum privati rogarent.

Singulare inter catalogos sexagesimae fragmentum n. 266 est, in quo haec agnoscuntur:

- - [*Μ*]*αδύτιοι*
- - [*Δ*]*αρδανῆς*
- - [*Ἀ*]*λωποκοννήσιοι*
[*Πόλεις, ἃς ἔτ*]*αξαν οἱ τάκται*
[*ἐπὶ* - - ]*ου γραμματεύοντος*
- - [*Κ*]*αλλιπολῖται*
- - *Σαρταῖοι*
- - *Ἀμόργιοι*
[*Πόλεις, ἃς ἡ*] *βουλὴ καὶ οἱ πεντακόσιο*[*ι*]
[*οἱ ἡλιασταὶ ἔτ*]*αξαν*
- -

Atque Koehlero (l. l. p. 82) dubium videbatur, utrum hoc fragmentum census tributi esset, ut I 37, an catalogis exagesimae tributorum; Kirchhoffius lapidem catalogis inseruit. Quod suo iure eum fecisse persuasum mihi est. Quamquam enim in ceteris sexagesimae laterculis urbes a tactis vel a senatu iudicibusque aestimatae enumerari non solent, ut fit in eo de quo agimus, tamen in tabella census tributorum senatum et iudices initio praescribendos fuisse apparet: quem-

admodum n. 37 urbium catalogum haec praecedunt: *κ[ατὰ τάδε ἔτα]ξεν τὸμφό[ρον τῆ]σι πόλεσιν ἡ [β]ουλ[ὴ . . . καὶ ἡ ἠλιαία]*, neque ibi tactis fuisse locum. Potius existimo ex singulari quadam causa urbes lapidis 266 aliter atque ceteras quae in catalogis recensentur urbes distributas esse. Ac nescio an operae pretium sit in fragmentum illud paulo accuratius inquirere.

Primum tres urbes enumerantur, quae in omnibus laterculis provinciae Hellespontiae adscriptae sunt eaedemque in censoria tabula anni Ol. 88, 4 leguntur. Tabellam hanc composui:

| | | | | | | | | Ἑ. φ. | Ἑ. φ. | Ἑ. φ. | Ἑ. φ. | Ἑ. φ. | Ἑ. φ. | Ἑ. φ. | Ἑ. φ. | αἵδε πόλεις κατα[τ]ελοῦσι τὸν φόρον. |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| *Μαδύτιοι* | | | | | | | 236 | | 238 | 239 | | 242 | | | 258 | |
| *Δαρδανῆς* | 229 | | 231 | 233 | | 235 | 236 | 237 | 238 | 239 | 240 | 242 | 244 | 247 | 258 | |
| *Ἀλωποκοννήσιοι* | 229? | 230 | | | 234 | | 236 | | | | | 242 | | | | 258 |
| | Ol. 82, 2 | Ol. 82, 3 | Ol. 82, 4 | Ol. 83, 2 | Ol. 83, 3 | Ol. 83, 4 | Ol. 84, 1 | Ol. 84, 2 | Ol. 84, 3 | Ol. 84, 4 | Ol. 85, 1 | Ol. 85, 3 | Ol. 86, 1 | Ol. 87, 1 | Ol. 93, 1—3 | |

(i. e. Madytii inveniuntur C. I. A. I 236 et sqq. et quidem ab a. Ol. 84, 2 in laterculis, quibus inscribitur *Ἑλλησπόντιος φόρος*: idemque valet de Dardanensibus et Alopoconnesiis).

Iam 258 Alopoconnesii a Madytiis et Dardanensibus separati iis urbibus adscribuntur, *αἳ κατα[τ]ελοῦσι τὸν φόρον*, de qua formula cf. Kirchhoff. ad titulum, plane igitur alienum hoc tributum a censu est fragmenti 266, ubi tres illae urbes eodem ordine coniunguntur. Kirchhoffius titulum 258 ad annorum Ol. 93 unum aliquem pertinere existimat; idem (ad 261) cum Koehlero (l. l. p. 82) frg. 266 anno Ol. 88, 4 recentius esse habendum affirmante consentit. Itaque 266 non spectare nisi ad censum horum annorum potest: Ol. 88, 4. 89, 4. 90, 4. 91, 4. Deinde cum Thucyd. VII 28 a. Ol. 91, 4

pro tributis antea solutis vicesimae vectigal ab Atheniensibus imperatum sociis narret (Koehler. l. l. p. 152), restant anni Ol. 88, 4. 89, 4. 90, 4.

Sequuntur n. 266: [*πόλεις, ἃς ἔτ*]*αξαν οἱ τάκται*, quae sunt *Καλλιπολῖται*, *Σαρταῖοι*, *Ἀμόργιοι*. Callipolis urbs est in Chersoneso Thracia sita, quae n. 37 Hellespontiae provinciae adsignatur, Sarte in Chalcidica sita ad provinciam Thraciam, Amorgus ad insularem pertinet. Leguntur tres urbes his catalogorum locis:

| | π. α. φ. τ. | π. α. φ. τ. | [π. α. φ. τ.] | π. α. φ. τ. | [π. α. φ. τ.]? | [Θ. φ.]? | [Θ. φ.]? |
|---|---|---|---|---|---|---|---|
| *Καλλιπολῖται* | 243 | 244 | | | | | |
| *Σαρταῖοι* | 243 | 244 | [253] | [256] | | 260 | 263 |
| *Ἀμόργιοι* | 243 | 244 | [253] | [256] | 257 | | |
| | Ol. 85, 4 | Ol. 86, 1 | ? | Ol. 88, 1 | Ol. 88, 2 aut 3 | Ol. 89, 4 | ? |

(*π. α. φ. τ.* sunt *πόλεις αὐταὶ φόρον ταξάμεναι*. *Θ. φ.* est *Θρᾴκιος φόρος*).

243 et 244 igitur tres illae significantur *πόλεις αὐταὶ ταξάμεναι*, 253 et 256 Sarten et Amorgum, 257 solam Amorgum se ipsas aestimasse iam cognoscitur. Sartaei quoniam 260 et 263 inter urbes Thraciae provinciae enumerantur, apparet annis eorum titulorum non amplius se ipsos aestimasse. Idem de Callipoli effici videtur, cum n. 37 inter urbes Hellespontias memoretur. Fragmento vero 266 census mutatus accurate significatur. Tres enim illas civitates tactarum aestimatione iure sibi ipsas tributi summam statuendi (cf. supra p. 31 sq.) privari in propatulo est. Quamquam dubitari nequit, quin etiam hic census a tactis propositus non minus quam tributa a privatis aestimata probatione senatus et heliastarum indiguerit. Quod autem eis urbibus, quarum tributa novo modo a tactis aestimantur, tactae ipsi praescribuntur, eo spectat

ut ab aliis discernantur, quae se ipsae non censuerant. Quamquam quid sit cur tamquam nova rubrica illam sequatur: [*πόλεις, ἃς ἡ*] *βουλὴ καὶ οἱ πεντακόσιο*[*ι οἱ ἡλιασταὶ ἔτ*]*αξαν*, non satis assequor: praesertim cum et omnes urbes a senatu et iudicio aestimatas fuisse constet neque ulla supersint urbium nomina illi rubricae subiecta, unde cerni possit qua re ab aliis distent.

---

# DE SENATUS IN RATIONIBUS CIVITATIS ATHENIENSIUM CUM ALIIS CIVITATIBUS, PRAECIPUE IN FOEDERIBUS COMPONENDIS VI AC POTESTATE.

Cum exteris civitatibus pro populo senatum egisse, legatos et misisse et admisisse, de mandatis illis datis *προβουλεύματα* concepisse et consilia cum populo communicasse notum est et a viris doctis multifariam tractatum (cf. cum alios tum Busolt. *d. zweite Athen. Bund* in annal. philol. supplem. VII p. 698. Hartel. *Att. Staatsr.* p. 102). Itaque — ut hoc primum afferam — C. I. A. II 86 populum senatui praescribere par est: *ποιησάσθω δὲ καὶ σύμβολα ἡ βουλὴ πρὸς τὸν βασιλέα τὸν Σιδωνίων, ὅπως ἂν ὁ δῆμος ὁ Ἀθηναίων εἰδῇ ἐάν τι πέμπῃ ὁ Σιδωνίων βασιλεὺς δεόμενος τῆς πόλεως, καὶ ὁ βασιλεὺς ὁ Σιδ*[*ω*]*νίων, ὅταν πέμπῃ τινὰ ὡς αὐτὸν ὁ δῆμος ὁ Ἀθηναίων.* Tesserae enim hospitales, quibus socii atque amici invicem agnoscantur, a quonam fieri debebant nisi a senatu, quippe qui res externas administraret? Fortasse de eadem re I 64 fr. a, v. 18 agitur, ubi agnoscitur vox [*σ*]*υμβολα* . ., praesertim cum de honoribus Euagorae Salaminio, regi et ipsi Atheniensium amico, tribuendis decernatur. Sed cum praecedat: *τὰς δίκ*[*ας*], etiam *δίκαι συμβολαῖαι* vel *δίκαι ἀπὸ συμβόλων* intellegi possunt. Certius II 108, quo titulo Oronti ('Mysiae ut videtur satrapae') civitas confertur, verba fr. b, v. 6: *καὶ τὰ σύμβολα δειχθῇ*, huc

pertinent; neque repugnant verba fr. a, v. 13: *τοὺς μὲν Ἀθηναίους δίκας διδόναι ἐν τοῖς συμβόλοις.*

Ad legationes accedo. Atque in legatis creandis, qui de Atheniensium rebus apud alias civitates agerent, non certam usquequaque normam esse observatam tituli docent. In documento foederis inter Athenienses et Eretrienses c. Ol. 97 icti legimus[1]: [*ἑλέσθαι δὲ πρ*]*έσβεις αὐτίκα μάλα τὴ*[*ν βουλὴν δέκα ἄνδρ*]*ας, πέντε μὲν ἐκ τῆς βο*[*υλῆς, πέντε δὲ ἐξ ἰδι*]*ωτῶν, οἵτινες ἀπο*[*λήψονται τοὺς ὅρκους πα*]*ρὰ Ἐρετριέ*[*ων*]. *Ὁρκωταί* igitur (de quibus cf. Xenoph. Hellen. VI 5, 3) a senatu quinque senatores et quinque homines privati delegantur. Decem legati saepius creabantur (cf. Andoc. de pace 6. Xen. Hellen. II 2, 17), e senatoribus vero plures quam quinque esse missos nusquam expressis verbis nuntiatur[2]. Foedere cum Thessalis facto a. Ol. 104, 4 quinque *ὁρκωταὶ ἐξ ἁπάντων Ἀθηναίων* eligebantur[3], idemque C. I. A. IV 27 a, v. 45 sqq. de legatione Chalcida mittenda (Ol. 83, 4) iubetur: *οἵτινες δὲ ἐξορκώσουσι ἀφικόμενοι ἐς Χαλκίδα, ἑλέσθαι τὸν δῆμον πέντε ἄνδρας αὐτίκα μάλα* (cf. ib. 22 a, fr. a et b, v. 4—5). C. I. A. II 105 (Ol. 107, 2) quinque legati enumerantur 'ab Atheniensibus, ut iusiurandum a Chalcidensibus (Thraciis) acciperent missi', qui utrum a populo an a senatu creati sint nescimus. Deinde II 17 v. 72 sqq. (Ol. 100, 3) legitur: *ἑλέσθαι δὲ τὸν δῆμον πρέσβεις τρεῖς αὐτίκα μάλ*[*α*] *εἰς Θήβας,* [*ο*]*ἵτινες πείσουσι*... Itaque satis raro senatus videtur iussus esse legatos creare, plerumque populus eos ipse creasse[4].

Quamquam ex iis, quae tractavi, intellegimus foedere icto saepe legatos ad exteras civitates missos esse, ut earum iusiurandum acciperent, accidit quoque ut civitas aliqua

---

1) v. *Mittheil. d. Athen. Instit.* II 213 v. 10 sqq.

2) Hartel. *Demosth. Stud.* II 100 recte, ut videtur, monet etiam ex illis legatis, qui cum Philippo a. 346 de pace egissent, nonnullos senatores fuisse, ut Demosthenem et Philocratem.

3) *Mittheil. d. Athen. Inst.* II 201 v. 21.

4) Cf. Schoemann. de comit. p. 282.

Athenis in ipsa urbe fidem Atheniensibus praestituram se esse sacramento firmaret. Et tunc quidem harum civitatum legati coram senatu iuravisse videntur: num vero semper id factum sit nescimus. Testimonio est unus ille titulus, qui foedus Thessalicum continet, ubi (v. 29) haec verba attendas velim: *ὀμόσαι δὲ [κ]αὶ τοὺς πρέσβεις τοὺς τῶν Θετταλῶν ἐν τ[ῆ]ι βουλῆ τοὺς [ἐπι]δημοῦ[ν]τας Ἀθήνησιν*[1]).

Ad pacem vel foedus cum civitate aliqua factum Atheniensium nomine sollemni iureiurando firmandum homines publica auctoritate praediti a populo delegantur. Videmus autem ad eam rem alios alio tempore magistratus destinari. Quo ex genere quales innotuerint, deinceps exponere ab hoc loco non alienum fuerit. Et persequamur quidem lapides scriptorumque de hac re testimonia secundum temporum ordinem.

Ut a primordiis societatis Deliacae proficiscamur, e Plutarchi testimonio cognoscimus tributis sociorum statutis Aristidem et iuravisse et iuraiuranda accepisse (Arist. 25): *ὁ δ' Ἀριστείδης ἐξώρκισε μὲν τοὺς Ἕλληνας καὶ ὤμοσεν ὑπὲρ τῶν Ἀθηναίων μύδρους ἐμβαλὼν ἐπὶ ταῖς ἀραῖς εἰς τὴν θάλατταν.* Quod illum fecisse, quoniam strategus Atheniensium esset, Gilbertus (*Beitr. z. innern Gesch. Athens* p. 64) existimavit. Sane eo anno, quo foedus factum est (Ol. 75, 4), Aristides strategus fuit: neque vero traditur postea quoque eum munere illo functum esse (quamquam id cogitari potest), velut cum urbium Thraciarum tributa ordinaret (Thuc. V 18). Probabile igitur hoc tantum relinquitur illum quia foederis condiciones constituerat, etiam sacramento eas sanxisse: neque veri absimile est eum haec gessisse *αὐτοκράτορα* ab Atheniensibus factum.

Deinde magno spatio intermisso ad foedus a. 446/5 cum

---

1) C. I. A. II 167 v. 23: *ὅ[ρκῳ πι]σ[τῶ]σαι ἐν τῇ [β]ουλ[ῇ κ]ατὰ [τὸν ν]όμ[ον]* non ad legatos pertinet, cf. p. 28. — In strategio sociorum delegati iurabant post pacem cum Philippo factam: Aeschin. *π. παραπρ.* 85: *ἐξώρκιζον τοὺς συμμάχους οἱ τοῦ Φιλίππου πρέσβεις ἐν τῷ στρατηγίῳ τῷ ὑμετέρῳ.*

Chalcidensibus ictum pervenimus (C. I. A. IV 27 a). Et v. 3 sq. quidem legimus: *τὸν ὅρκον ὀμόσαι Ἀθηναίων τὴν βουλὴν καὶ τοὺς δικαστάς*. Constat foedus factum esse postquam Chalcidenses, qui ab Atheniensibus defecerant, rebus in summum discrimen adductis armis in potestatem redacti sunt. Quod ut firmum maneret, utriusque civitatis quam maxime interesse debebat: unde consentaneum est iuraiuranda ratione perquam sollemni dari. Iam cum Chalcidensium *οἱ ἡβῶντες ἅπαντες* iurare iubeantur (v. 32 sq.)[1], Atheniensium quoque heliastas omnes, i. e. cives triginta annis maiores cum senatu iurare Fraenkelius (*Att. Geschworenenger.* p. 50) arbitratur. Sed voce *οἱ δικασταί* sive *οἱ ἡλιασταί* vel una iudicum decuria intellegi potest (cf. C. I. A. I 37 et supra p. 30 sq.). Neque unquam omnes cives Athenienses iureiurando adigi populus iussit nisi ubi de populari imperio ipsaque republica sancte stabilienda et servanda agebatur, velut in Demophanti psephismate post restitutum populare imperium a. 410 itemque a. 403 perlato[2]) (Andoc. de myst. 96 sqq. cf. Lycurg. c. Leocr. 124 sqq.): *ὀμόσαι δ' Ἀθηναίους ἅπαντας καθ' ἱερῶν τελείων, κατὰ φυλὰς καὶ κατὰ δήμους*, et repetitur: *ταῦτα δὲ ὀμοσάντων Ἀθηναῖοι πάντες καθ' ἱερῶν τελείων, τὸν νόμιμον ὅρκον, πρὸ Διονυσίων*. Certe satis erat senatui quingentorum et heliastarum decuriae pacta iureiurando sancienda committere: quo ipso foedus illud sollemnius sancitur quam ullum ex reliquis quae commemoraturi sumus. Ceterum non neglegenda sunt v. 19—20: *ὅπως δ' ἂν ὀμόσωσιν ἅπαντες, ἐπιμελόσθων οἱ στρατηγοί*: strategos autem in

---

1) Etiam in pactione Eretriensi (c. a. 300 a. Ch. n.), quam Eustratiadis *Ἀρχαιολ. Ἐφημ.* 404a (a. 1869) publicavit, legitur v. 43: [*ὀμόσαι τοὺς πολίτας π*]*άντας*, v. 47: *ἀ*]*ναγράφειν δὲ καὶ τᾶ*[*ν*] *ἐφήβων τοὺς ὀμόσαντ*[*ας*.. Unde nescio an proprium Euboeensibus morem antiquitus receptum fuisse, ut in re sollemni omnes puberes iurarent, nostro iure statuamus.

2) Demophantum autem vetustam formulam legis de maiestate et sacramenti expressisse Schoellius statuit Comm. in honorem Mommseni p. 460.

pactionibus ineundis omnino magnas partes habuisse videbimus.

Foederum a. 433/2 cum Rheginis et Leontinis ictorum formulae servatae nobis sunt (C. I. A. IV 33 et 33 a); ubi tamen de iureiurando nihil nisi haec scribuntur: *τὸν δὲ ὅρκον ὀμοσάντων Ἀθηναῖοι κατὰ τάδε* et *ὀμόσαι δὲ Ἀθηναίους τάδε,* non additur quinam nomine Atheniensium iurare iubeantur.

Ceterum praetermittere non licet indutias a. 423 inter Lacedaemonios et Athenienses factas, de quibus Thuc. IV 119 haec praebet: *ξυνέθεντο καὶ ἐσπένδοντο* (i. e. *ὤμοσαν,* cf. 118 in fine: *σπείσασθαι δὲ . . τὰς πρεσβείας . . ἦ μὴν ἐμμενεῖν κτλ.*) . . *Ἀθηναίων . . οἱ στρατηγοὶ Νικόστρατος Διειτρέφους, Νικίας Νικηράτου, Αὐτοκλῆς Τολμαίου* (iidem tres sunt duces, qui brevi ante Cythera insulam occupaverant: IV 53). Ad indutias igitur sanciendas tres strategi sufficiunt.

Sequuntur pax et foedus a. 421 inter Lacedaemonios et Athenienses facta, Thucydidis libro V. (19 et 24) inserta, quorum utrumque septendecim Atheniensium viri iureiurando confirmant. Quorum undecim a Thucydide ipso inter strategos antea memorari Classenus vidit: unde efficitur hoc quoque loco strategos aliquot iurare. De ceteris quid valeat decernere non audeo: fortasse nonnulli erant senatores et a senatu creati. Nicias autem et Laches inter iurantes sunt, quia ipsi cum Lacedaemoniis de pace egerant (Thuc. V 43)[1]).

Apud eundem Thucydidem (V 47) formula foederis a. 420 cum Argivis Mantineensibus Eleis icti extat, ubi legitur: *ὀμοσάντων Ἀθήνησι μὲν ἡ βουλὴ καὶ αἱ ἔνδημοι ἀρχαί, ἐξορκούντων δὲ οἱ πρυτάνεις*[2]). Ad quem locum Classenus adno-

---

1) De Thrasycle cf. Koehler. in *Mittheil.* I 172.

2) Cf. p. 37, praeterea vero C. I. A. I 84 v. 6: *[στ]ρατηγοὶ ἐχ[σ]ορκ* . . . et IV 27 a, v. 16 sqq.: *ὁρκῶσαι δὲ πρεσβείαν ἐλθοῦσαν ἐχ Χαλκίδος μετὰ τῶν ὁρκωτῶν* (sc. *τῶν ἐν Ἀθήναις,* cf. v. 38: *μετὰ τῶν ὁρκωτῶν τῶν ἐν Χαλκίδι*) *Ἀθηναίους,* ubi *ὁρκωταί* fortasse prytanes sunt.

tat haec: 'αἱ ἔνδημοι ἀρχαί *die nur in der stadt und nicht, wie etwa die strategen, auch ausserhalb derselben ihr amt zu üben haben: entgegengesetzt die ὑπερόριοι ἀρχαί*' (cf. Aeschin. c. Tim. 19: *μήτε ἀρχὴν ἀρχέτω μηδεμίαν μήτε ἔνδημον μήτε ὑπερόριον*). At falli virum egregium puto. Cur enim ab hoc potissimum foedere sanciendo strategi excludantur, qui totiens comparent? Neque Aeschinis locus obstare mihi videtur, quominus *ἐνδήμους ἀρχάς* apud Thucydidem nihil aliud esse iudicemus atque magistratus omnes, qui quo tempore foedus sanciendum est in urbe commorantur. Quod autem magistratus diversorum ordinum omnes iurare tamquam unum collegium iubentur, tam singulare est, ut eius rei alia aliorum circumspicere exempla operae pretium sit.

'Magistratibus domesticis' Atheniensium apud Thuc. l. l. respondent Mantineensium *αἱ ἄλλαι ἀρχαί* (sc. praeter demiurgos et senatum), Eleorum *οἱ τὰ τέλη ἔχοντες*, Argivorum *αἱ ἀρτῦναι*[1]). Eadem res apud Thessalos et apud Eretrienses observatur: cf. *Mittheil. d. Athen. Inst.* II 202 (v. p. 47), ubi legati Atheniensium *ἐξορκεῖν* iubentur Agelaum *τὸν ἄρχοντα*, polemarchos, hipparchos, equites, hieromnemones *καὶ τοὺς ἄλλου[ς] ἄρχοντας, ὁπόσοι ὑπὲ[ρ] τοῦ κοινοῦ τοῦ Θετταλῶν ἄρχουσ[ι]ν.* Deinde foedus inter Eretrienses et Histiaënses initio IV. a. Ch. saeculi factum haec habet (*Ἀρχαιολ. Ἐφημ.* 1872, *ἀρ.* 417[2]): [*Ὀμόραι δὲ* - - - - -]*ασ*[- - -]*αι του*[- -]*η τὴν συμμαχί*[*αν κατὰ τ*]*ὰ σύνγραφα, εἰ δὲ* [*μή, τὰς*] *νῦν ἀρχάς, ὁπόραι ἄ*[*ρχ*]*ουριν ἐν ἑκατέρει τεῖ πόλει.* Etiam apud alias civitates certis temporibus omnia magistratuum collegia coniunctim egisse inscriptione Lesbia docemur iam ante Ol. 96 exarata[3]), de qua nuper Blassius in Hermae vol. XIII p. 382 sqq. disseruit. Continet pactum Mytilenaeorum et Phocaeensium de nummis aureis cudendis, ubi de falsae monetae reis iudicandis dicitur

---

1) Cf. Schoemann. *Gr. Alt.* I 147. 150. 153.

2) Eustradiadis supplementa parum probabilia omisi.

3) Cf. Bechtel in Bezzenbergeri *Beiträge z. Kunde d. indogerm. Sprache* V p. 108.

v. 6 sqq.: *δι[κάσταις δὲ ἔμ]μεναι τῶι μὲν ἐμΜυτιλήναι [κέρναντι* (sc. *τὸ χρυσίον*)] *ταὶς ἄρχαις πα[ί]σαις ταὶς ἐμ[Μυτιλή]ναι πλέας τ[ῶ]ν αἰμίσεων, ἐμΦώκαι δ[ὲ τ]αὶς ἄρχαις παί[σ]αι[ς] ταὶς ἐμΦώκαι πλ[έ]ας τῶν αἰμίσεω[ν]*. Haec magistratuum omnium in unum coniunctio a *συναρχίαις* illis, quae posteriori tempore in variis Graeciae civitatibus communi consilio agere saepe dicuntur, non nimis diversa mihi videtur esse. Synarchias Athenienses non noverunt: apud Achaeos praecipue et apud Messenios fuisse Polybius refert: cf. XXVII 2, 11: *οἱ δὲ περὶ τὸν Αὖλον καὶ Μάρκιον παραγενηθέντες εἰς τὴν τῶν Ἀργείων πόλιν ἐχρημάτισαν ταῖς συναρχίαις ταῖς τῶν Ἀχαιῶν*. XXXVIII 5, 4: *Ἔφη γὰρ* (Critolaus) *Εὐαγόραν . . καὶ . . Στρατήγιον πάντα τὰ λεγόμενα δι' ἀπορρήτων ἐν ταῖς συναρχίαις διασαφεῖν τοῖς περὶ τὸν Γναῖον*. IV 4, 2: *Οἱ δὲ τῶν Μεσσηνίων ἔφοροι . . . ἀνεκαλοῦντο αὐτὸν* (Dorimachum Aetolum piratis adversus Messenios patrocinantem) *εἰς τὰς συναρχίας*: ut etiam apud Messenios *συναρχίαι*, quemadmodum Mytilenae et Phocaeae *αἱ ἄρχαι παῖσαι*, iudicum vice fungi videantur. Praeterea *συναρχίαι* secundum titulorum testimonia in his civitatibus extiterunt: Megaris, cf. Le Bas-Foucart *Inscript. du Péloponn.* 35 a[1]): *συναρχίαι προςβουλεύσαντο ποτί τε τοὺς αἰσιμνήτα[ς, τὰν] βουλὰν καὶ τὸν δᾶμον*. Aegosthenis in urbe Megarica, cf. ib. 12 (tit. III a. Ch. saeculi): *συναρχί[αι προ]εβουλεύσαντο ποτὶ τὰν βου[λὰν] καὶ τὸν δᾶμον*. Spartae, cf. ib. 194 a (tit. III a. Ch. saec.): *πόθοδον ποιησαμένου Δαμίωνος . . . καὶ ἐπελθόντος ἐπί τε τὰς συναρχίας καὶ τὸν δᾶμον*. Demetriade in urbe Thessalica, cf. Foucart. ad 35 a: *ὁ ἱερεὺς . . ὁ κοινὸς στρατηγὸς καὶ ἡ συναρχία . . εἶπαν*. Bargyliis in urbe Carica, cf. Le Bas-Waddington 87 (tit. III a. Ch. saec.) v. 31 sq.: *καλέσαι δὲ αὐτὸν* (Tyronem Teium) *καὶ ἐπὶ ξένια ἐ[ν τῷ π]ρυτανείῳ καὶ μετεῖναι μετὰ τῆς συναρχίας*. Tei, cf. ib. 88 (tit. II a. Ch. saec.) v. 2 sq.:

---

1) II. fere a. Ch. saeculi. Antiquior est testis Aeneas poliorc. c. 4, 11, qui adeo de Pisistrati aetate tradit: *ἀπήντων πολλοὶ τῶν Μεγαρέων, αἵ τε συναρχίαι καὶ ἄλλοι.*

*συνεῖναι δὲ καὶ τὰς συναρχίας [τάς τε ἱερας καὶ τὰς δημοσίας τ]ὰς ἐν τῇ πόλει καὶ τῇ χώρᾳ*[1]. In Antiochiae ad Maeandrum nummis *συναρχία* vocabulum extat hoc modo (cf. Eckhel. D. N. II p. 547): *Ἀττάλου* vel *Παιωνίου* vel *Μύωνος συναρχία*. Quod Eckhelius ita interpretatur: 'Mihi videtur *συναρχία Ἀντιοχέων* significare totum magistratuum collegium, qui Antiochenorum rem publicam rexere et quorum decreto signati sunt id genus numi . . . . ac tum additi Attalus, Paeonius, Myon aliud non sunt, quam magistratus eponymi'. Quod probat Le Bas (ad 87), qui parum apte Aphrodisiensem nummum[2] comparat, ubi est: *Ἐπὶ τῶν ἀρχόντων περὶ Μενεσθέα*. Contra eiusdem generis est inscriptio Ancyrana (C. I. G. III 4048): *Κλαυδίου Πρόκλου συναρχίας δ̄*. Equidem pro certo non habeo num eiusmodi synarchias, quibus nomen alicuius viri additur, reliquis illis conferri liceat, quoniam cogitari potest eas unius eiusdemque collegii hominibus neque vero compluribus magistratuum collegiis effici, quemadmodum est C. I. G. 1320: *διὰ συναρχίας* (sc. *γερόντων*) *τῆς περὶ Μάρκον Τάδιον Φιλόξενον*.

Ceterum de synarchiis Foucartum (ad 35 a) recte iudicare persuasum habeo ita: '*L'existence des συναρχίαι est une restriction à la démocratie et une barrière contre l'influence trop grande du peuple dans le conseil et dans l'assemblée*'[3]. Quod autem Blassius titulo Lesbio nisus et Mytilenae et Phocaeae, quo tempore pactio inter has urbes facta sit, oligarchiam obtinuisse arbitratur, Thucydidio loco, a quo ad totam hanc quaestionem disceptandam profecti sumus, probatur etiam in populari imperio non nunquam omnes magistratus in unum quasi collegium in re certa consociatos esse.

Revertamur nunc ad Atticos lapides. In foedere Atheniensium et Bottiaeorum (Ol. 90) C. I. A. I 52[4]) fr. b,

---

[1]) Addo C. I. G. III add. 4235 d, v. 32: *συναρχίας καὶ τῶν ἄλλων*... (inscriptio Lycia urbis Tloensium).

[2]) *Revue numismat.* 1851 p. 237.

[3]) Egit de synarchiis etiam Vischerus *Kleine Schriften* II 24. Strictim attigit easdem Dittenbergerus *Archaeol. Zeitung* 1878 p. 93.

[4]) De hoc titulo cf. infra p. 52 sqq.

v. 7 sqq. Kirchhoffius sic supplevit: . . *ους· τὸν δὲ ὅ[ρκον ὀμόσαι Ἀθηναίων μὲν τὴν] βουλὴν καὶ τ - - - - ίων δὲ τὴν β[ουλὴν καὶ τοὺς . . . . . ἄρ]χοντας τοὺς - - - -*. Quorum versuum septimus sine dubio recte expletus triginta tres litteras continet. Neque minus triginta tres habet v. 11 ita scriptus: . . *ος ἔστω Ἀθην[αίοις κατὰ τάδε· ἐμμενῶ τοῖς]* vel ita: . . *ος ἔστω Ἀθην[αίοις μὲν ὅδε· ἐμμενεῖν τοῖς]*. Quare v. 8 fortasse interponendum est, quod Schoellius me monuit: *τὴν βουλὴν καὶ τ[οὺς ἄρχοντας ἅπαντας. Βοττια]ίων δέ* . . . Ad quae verba supplenda et ea quae praecedit argumentatione et inde adducimur, quod Bottiaeorum quoque *οἱ ἄρχοντες* iurant.

Foedus cum Haliensibus anno Ol. 90, 1 vel 2[1]) factum (C. I. A. IV 71) ex Kirchhoffii supplementis v. 26 sq., quae aliis exemplis comprobantur, senatus et strategi sacramento sanciunt.

Deinde servata nobis est pactio cum Selymbrianis anno Ol. 92, 4 per strategos Atheniensium Selymbriae facta, C. I. A. IV 61 a, quae in haec verba exit: *ὤ[μο]σαν Ἀθηναίων οἱ στρατηγοὶ [καὶ οἱ ταξίαρχο]ι* (sic recte Sauppius in commentatione de proxenis Athen. Gotting. 1877 p. 11) *καὶ οἱ ὁπλῖται καὶ εἴ τι[ς ἄλλος Ἀθηναίων π]αρῆν*. Iurant igitur magistratus militares exercitusque, a quibus oppidum captum erat, et si qui praeterea tunc erant Selymbriae cives Athenienses. Non multo post auctore Alcibiade, qui unus ex strategis illis fuerat, pactiones plebiscito confirmantur rataeque fiunt: *καθ' ἃ ξυνέθεντο Ση[λυμβριαν]οὶ πρ[ὸς Ἀθ]η-*

---

[1]) Kirchhoffium cum annorum uni alicui, qui sunt inter Ol. 90, 1 et 91, 4 lapidem adsignaret, fugit illud v. 3: *Λάχης εἶπε*. Thucydide enim testante (V 74) Laches cum Nicostrato in pugna apud Mantineam commissa ineunte anno Ol. 90, 3 interfectus est. Rogationem igitur illam iam eodem anno ab eo latam esse probabile non est. Ex forma *ταῖς* Kirchhoff. conclusit lapidem ante Ol. 90, 1 scriptum non esse, ac profecto cum Haliensibus Athenienses pactos esse ante foedus cum Argivis exeunte anno Ol. 89, 4 ictum vix credam. Quare titulo Ol. 90 aut 1. aut 2. annus relinquitur. Ceterum indutiae quoque Ol 89, 1 rogatu Lachetis fiebant: Thuc. IV 118.

ναίους, κατὰ ταῦτα ποιεῖν. Hoplitae iurantes hoc solo loco reperiuntur, quod explicatur ex ipsius belli atque obsidionis rationibus.

Iam transgressi Euclidis annum titulo illo, quo cum Eretriensibus Athenienses paciscuntur (*Mittheil.* II 212, cf. supra p. 37), ad tempora belli Corinthiaci deferimur. Ubi v. 5 sqq. praecipitur: ὀμόσαι δὲ Ἀθηναίων μὲν τοὺς στρατηγοὺς καὶ τὴν βουλὴν καὶ τοὺς ἱππέας. Hoc loco equites quoque proferuntur: et omnino quarto a. Ch. saeculo plerumque una cum strategis equites, hipparchi, taxiarchi, phylarchi, qui quinto saeculo aut perraro aut nunquam inter iurantes sunt, ad iurandum adhibentur. Quod cur fiat haud difficile est intellectu. Cum enim per strategos et exercitum foedera ipsa plerumque fiebant, tum militarium magistratuum omnino illo tempore propter mutatam belli gerendi rationem magnamque bellorum molem auctoritas praevalebat. Qui vero praeter strategos quoquo tempore iuraturi essent, hipparchi an taxiarchi an phylarchi an equites an bina ternave collegia, populus, utut in re praesenti placebat, praescripsit: modo id hipparchis et equitibus, modo hipparchis et taxiarchis, modo taxiarchis imperatur, modo phylarchi adiunguntur.

C. I. A. II 12 qui magistratus in foedus cum Seutha Odrysarum rege ictum iuraverint, e fragmento non plane elucet. Koehlerus v. 12 sq. sic verba reficit: [τὸν δὲ ὅρκον Ἀθήνησιν (vel Ἀθηναίων) ὀμ]όσαι τοὺς στ[ρατηγοὺς καὶ τοὺς φυλάρχους καὶ τοὺς] ταξιάρχους, ubi pro phylarchis etiam hipparchi, qui ordine illis superiores erant, inseri possunt: vox enim *ΙΠΠΑΡΧΟΣ* pariter ac *ΦΥΛΑΡΧΟΣ* octo litteras continet. Ita etiam in titulo 52 v. 74 quid supplendum sit incertum est. Hipparchos certo habemus 15 b (v. infra), 52 b, 90, 112, *Mittheil.* II 201, phylarchi in titulo 90 primo certo leguntur, deinde 112 et 333. Senatui vero in titulo 12, cum dubitari non possit quin versus singuli 36 litterarum fuerint, locum non relinqui apparet, quoniam post taxiarchos demum eum nominatum esse non credibile est[1]).

---

1) v. 5 lacuna aliter non expletur nisi verbis Koehleri: ἐκ τῶν εἰς ψηφίσματα ἀναλισκομένων, quamquam omnibus reliquis locis aut scri-

Quod Koehlerus in *Mittheil.* II 138 sqq. tractavit foedus a. 387 cum Chiis factum, quod a tempore tituli praeeuntis non ita longe remotum esse potest (C. I. A. II 15), v. 27 sqq. hanc formulam praebet: *ὀμόσα[ι δ]ὲ τοῖς [ἥκουσιν Χίοις] μὲν τὴμβουλὴν κ[αὶ] τοὺς [στρατηγοὺς καὶ τα]ξιάρχους.*

C. I. A. II 15 b (p. 397, anni 382?) 'plebiscito subscripta fuerunt nomina eorum qui in verba foederis iuraverant. v. 13 [*φύλα*]*ρχοι* vel [*ἵππα*]*ρχοι* exaratum fuisse probabile est'. Equidem hipparchos praefero, quoniam duo tantum nomina illud . . . *ρχοι* sequi videntur.

Simili fere ratione, ut de C. I. A. I 33 vidimus, II 17 b (p. 398), in foedere cum Chalcidensibus a. 378/7 facto non legitur nisi in universum: *ὀμόσαι δὲ τ[ὴν] πό[λιν Χαλ]κι[δεῦ]σ[ι]ν (καὶ τοὺς Χαλκιδέα[ς Ἀ]θ[ηναίοις]).*

II 19 in foedere Ol. 100 cum Byzantinis facto nihil agnoscitur nisi v. 8 [*ὀ*]*μόσα*[*ι* . ., 9 *καί*, 10 [*τοὺς*] *ἱπ*[*πάρχους* vel *ἱπ*[*πέας*.

Sequitur decretum anni 375/4 de Corcyraeis Acarnanibus Cephallenibus in societatem recipiendis II 49, ubi v. 15 sqq. extant verba: *ἀποδοῦνα[ι τοὺς ὅρκους τα]ῖς πόλε[σι] ταῖς ἡκούσαις τὴν βουλὴν [καὶ τοὺς στρατηγοὺς καὶ τοὺ]ς ἱππέας καὶ τοὺς συμμάχ[ους?*. Senatum, strategos, equites iam in verba foederis Eretriensis iuravisse vidimus, accedunt hic socii, i. e. *τὸ κοινόν* (v. 19) vel *τὸ συνέδριον* (*οἱ σύνεδροι*) *τῶν συμμάχων.* cf. Xen. Hell. VI 3, 19: *ἐπὶ τούτοις ὤμοσαν* (a. 371 ad pacem Lacedaemone conclusam confirmandam) *Λακεδαιμόνιοι μὲν ὑπὲρ αὑτῶν καὶ τῶν συμμάχων, Ἀθηναῖοι δὲ καὶ οἱ σύμμαχοι κατὰ πόλεις ἕκαστοι.* Etiam a. 346 socii per se soli iurant: Aeschin. *π. παραπρ.* 86 (cf. p. 38).

Venio ad foedus cum Dionysio maiori, Syracusanorum tyranno, a. 368/7 percussum, C. I. A. II 52, ubi v. 32 sqq.

---

bitur: *ἐκ τῶν εἰς τὰ κατὰ ψηφ. ἀναλ.* aut *ἐκ τῶν κατὰ ψηφ. ἀναλ.* cf. Hartel. *Att. Staatsr.* p. 130, qui hoc exemplum praetermisit. Cum vero illa formula nostro loco primo usurpetur, non mirum est eam recedere a consuetudine posterioris temporis.

Koehlero praeeunte ita explendi sunt: [ὀμόσαι δὲ τήν τε] βουλὴν καὶ το[ὺς στρατηγοὺς καὶ τοὺς ἱππά]ρχους (cf. supra ad II 12) καὶ τοὺς ταξιάρχους.

Eodem anno Athenienses cum Leucadiis foedus fecisse II 52 b (p. 400) testimonio est. Ad iusiurandum has litteras tituli pertinere apparet: ἱππάρχω· Νικη . . . . . ικλῖς· στρατηγοί· Φορμ[ίων], Σπουδίας. Aut igitur quia Leucadiorum non magna erat civitas, duo tantum strategi iurant aut duo tantum tum praesto erant.

Deinde Koehlerus (*Mittheil.* II 142 sqq.) titulum edidit anno 363/2 scriptum, quo foedus cum Ceis ictum continetur. v. 57 sq. habes haec: τάδε συνέθεντο καὶ ὤμοσαν οἱ στρατηγοὶ οἱ Ἀθηναίων πρὸς τὰς πόλεις τ[ὰ]ς ἐν Κέῳ κα[ὶ] οἱ σύμμαχοι. Manifestum est hoc foedus Selymbrianorum pactioni anni Ol. 92, 4, de qua iam egimus, simillimum esse. Ut enim Alcibiades capta urbe foedus illud fecit iusiurandumque iuravit, populus deinde sacramentum et foedus rata fecit, sic anno 363/2 Chabrias postquam cum eis Ceorum qui Atheniensium partes sequebantur (καὶ οἱ σύμμαχοι: cf. Hartel. *Att. Staatsr.* 91) eos, qui defecerant, oppressit, cum Ceorum civitate pactus est. Quare et strategi Atheniensium (non Chabrias solus; similiter C. I. A. IV 61a Alcibiades cum aliis strategis) et ii Cei, qui Atheniensibus studebant, iurant. Hi igitur socii diversi sunt a sociorum συνέδροις, quos II 49 iurasse legimus. Porro ut Alcibiadis pactio a populo ita confirmatur, ut decernatur καταθεῖναι ἐμπόλει ἀναγράψαντας τούς τε ὅρκους καὶ τὰς συνθήκας μετὰ τοῦ γραμματέως τῆς βουλῆς, eadem prorsus ratione in nostro lapide (v. 17 sqq.) et strategi Iulietarum et scriba senatus inscribere pactiones iubentur, ὅπως ἂν καὶ οἱ ὅρκοι καὶ αἱ συνθῆκαι ἃς συνέθετο Χαβρίας ὁ στρατηγὸς καὶ ὤμοσε Κείοις ὑπὲρ Ἀθηναίων . . . κύριαι ὦσι.

Duobus annis post cum Thessalis foedus factum est, de quo supra iam diximus (*Mittheil.* II 201). Ubi v. 14 sqq. in verba foederis ὀμόσαι Ἀ[θη]ναίων μὲν τοὺς στρ[ατη]γοὺς καὶ τ[ὴ]ν βουλὴν καὶ τοὺς ἱππάρχους καὶ τοὺς ἱππέ[α]ς populus decernit.

C. I. A. II 64 (cf. *Mittheil.* II 211. Foucart. *Revue archéol.* 1878 (XXXV) p. 228) fragmentum est foederis cum civitatibus Euboeensibus ‘post pacem expeditione in insulam missa restitutam’ (a. 357/6) facti. Iurant *ἡ βουλὴ ἡ ἐπ’ Ἀγαθ[οκλέους ἄρχοντος· οἱ σ]τρατηγοί*, et hoc quidem loco decem strategi cuncti enumerantur. Senatum et strategos etiam C. I. A. IV 71 foedus sanxisse iam novimus.

II 90 in lapide pactionis cum Locrensibus circa annum Ol. 106, 1 factae, ubi Koehlerus ita legit: [*ὀμόσαι . . . . τοὺς στρατηγοὺς καὶ τοὺς ἱππ]άρχ[ους] καὶ τ[οὺς ταξιάρχους κα]ὶ τ[οὺς] φυλά[ρ]χους*, non dubito quin v. 1 ante *τοὺς στρατηγούς* supplendum sit *τὴν βουλὴν καί*.

Contra II 112 in decreto intra Ol. 106 et 109 facto, quo foedus inter Athenienses et civitates quasdam Peloponnesi continetur, senatui locus fuisse non videtur. Koehlerus recte haec supplevisse censendus est: [*τοὺς στρατηγοὺς καὶ το]ὺς ταξιάρ[χους καὶ τοὺς ἱππάρχους καὶ τοὺς φυλάρ]χους καὶ τ[οὺς ἱππέας* (?)].

Postremo II 333 in decreto ad foedus ante bellum Chremonideum circa Ol. 128 inter Athenienses et Lacedaemonios componendum pertinente, haec agnovit Koehler: [*ὀμόσαι . . . Ἀθηνα]ίους μὲν Λακεδαι[μονίοις . . . τοὺ]ς στρατηγοὺς καὶ τ[ . . . καὶ] φυλάρχους καὶ ταξι[άρχους]*. Cum vero Lacedaemoniorum *οἱ γέροντες* iurent, Atheniensium senatus omitti nullo pacto potuit, quem post *Λακεδαι[μονίοις* interponendum esse existimo.

Iam perlustrantibus nobis hanc titulorum seriem quod posui comprobatur certam normam foederum sacramentis sanciendorum apud Athenienses non fuisse. Quamquam plerumque strategorum collegium cum senatu, semper ex his alteriutri iurabant. Strategis in uno lapide C. I. A. IV 27 a iudices praeferuntur. Senatus saepius desideratur, et tribus quidem locis ea de causa, quod iusiurandum non Athenis datum est, sed aut Lacedaemone (Thuc. V 19 et 24. cf. Koehler. *Mittheil.* I 172) aut Selymbriae (C. I. A. IV 61 a) aut Ceo in insula (*Mittheil.* II 142). Post Euclidis annum

frequentissime praeter senatum militares magistratus iurant (cf. Koehler. in Herm. V 9. *Mittheil.* I 24).

His quantum potuimus adumbratis ad titulum C. I. A. IV 27 a paulisper redeamus, quo non solum primo docemur senatum pactionibus initis populi nomine iuravisse, sed etiam sacrificium publicum curasse, cf. v. 64: *τὰ δὲ ἱερὰ τὰ ἐκ τῶν χρησμῶν ὑπὲρ Εὐβοίας θῦσαι ὡς τάχιστα μετὰ Ἱεροκλέους τρεῖς ἄνδρας οὓς ἂν ἕληται ἡ βουλὴ σφῶν αὐτῶν.* Ceterum, ut v. 20 (cf. p. 39), hic quoque additur: *ὅπως δ᾽ ἂν τάχιστα τυθῇ, οἱ στρατηγοὶ συνεπιμελόσθων καὶ τὸ ἀργύριον ἐς ταῦτα παρεχόντων.* Euboea subiecta, quod vaticinio aliquo (Hieroclis si credimus Foucarto) iussum erat sacrificium tres senatores cum Hierocle vate populi totius nomine instituunt. Cuius rei prorsus simile exemplum non inveni. Quamquam omnino rebus sacris functum esse senatum scimus: velut constat prytanes senatus ante contiones populi aliisque statis diebus pro salute rei publicae sacrificasse[1], quod inscriptiones comprobant hae: II 390. 392. 408. 425. 426. 431. 432. 459. 472 aliaeque, ubi dicitur fere: *ἔθυον* (sc. *οἱ πρυτάνεις*) *τὰ πρὸ τῶν ἐκκλησιῶν τῷ τε Ἀπόλλωνι τῷ Προστατηρίῳ καὶ τῇ Ἀθηνᾷ τῇ Βουλαίᾳ καὶ τοῖς ἄλλοις θεοῖς οἷς πάτριον ἦν.* 417: *ἐπειδὴ δὲ οἱ πρυτάνεις τάς τε θυσίας ἔθυον ἁπάσας ὅσαι καθῆκον ἐν τῇ πρυτανείᾳ καλῶς καὶ μεγαλοπρεπῶς* . . . In titulis 444. 445. 446, qui de Theseis agunt, hoc legimus: *ἔδωκεν* (sc. *ὁ δεῖνα χειροτονηθεὶς ὑπὸ τοῦ δήμου Θησείων ἀγωνοθέτης*) *δὲ καὶ τῆς βουλῆς καθέσιμον δραχμὰς ΧΗΗ καὶ τοῖς πρυτάνεσιν εἰς θυσίαν Η*[2]. Laeto nuntio allato senatum sacra facienda iussisse patet

---

[1]) Cf. Koehler. Herm. V 333, Schoell. ib. VI 56, qui affert Theophr. charact. 21.

[2]) Koehler. recte iudicasse videtur (ad 444) voce *καθέσιμον* mercedem intellegendam esse senatoriam (*Sitzungsgelder*. cf. Andoc. de myst. 111: *ἡ γὰρ βουλὴ ἐκεῖ καθεδεῖσθαι ἔμελλε.* Schol. Arist. Plut. 972, al.). Agonothetae igitur mercedem illam solvunt, quod negotium plerumque quaestori senatus commissum esse Boeckhius statuit (*Staatshaush.* I 235). Atque quod duo agonothetae mille et ducentas drachmas, i. e. singulis senatoribus binas, unus sexcentas, i. e. sin-

ex Aeschin. c. Ctesiph. 160: *εἰς αἰτίαν δὲ εὐαγγελίων θυσίας τὴν βουλὴν κατέστησε*, sc. Demosthenes cum nuntiatum esset Alexandrum esse mortuum. Similiter Cleon apud Aristoph. Eq. 654 sqq. hanc rogationem in senatu fert (*γνώμην ἔλεξε*):

*Ἄνδρες, ἤδη μοι δοκεῖ*
*ἐπὶ συμφοραῖς ἀγαθαῖσιν εἰσηγγελμέναις*
*εὐαγγέλια θύειν ἑκατὸν βοῦς τῇ θεῷ.*

Aliud exemplum, quo confirmatur testimonium quod attuli p. 30 libelli de rep. Athen. de cura rerum sacrarum senatui commissa, titulus praebet a Cumanude editus (*Ἀθήναιον* VI 483), ubi est v. 4: . . [*οἱ ἱεροποι*]*οὶ οἱ αἱρε*[*θ*]*έντε*[*ς ὑπὸ τῆς βουλῆς* (cf. v. 23) *ὑπὲρ τῶν ἱερῶν ὧν ἔ*]*θυον τῷ Διονύσῳ καὶ* [*τοῖς ἄλλοις θεοῖς οἷς προσ*]*ῆκε θύειν ὑπὲρ τῆς βουλῆς κα*[*ὶ τοῦ δήμου τοῦ Ἀθηναί*]*ων*. Etiam C. I. A. II 114 huc facit. Namque B v. 7 senatus a populo corona aurea donatur, *ἐπειδὴ καλῶς καὶ δικαίως ἐπεμελήθη τῆς εὐκοσμίας τοῦ θεάτρου*[1]. Theatrum igitur ipsum a senatu exornatum est, i. e. senatu iubente et fortasse prytanibus curantibus a *θεατρώνῃ*[2], cuius erat theatri sarta tecta tueri (Boeckh. *Staatshaush.* I 308). Ib. v. 6 legitur: (*ἡ βουλὴ*) *δόξασα καλῶς ἐπιμε*[*μελῆσθαι τῆς εὐκοσμίας περὶ*] *τὴν ἑορτὴν τοῦ Διονύσου*, quod non minus ad Dionysiorum apparatum pertinet.

Senatus et res sacras et legatorum res curantis est theoros ad ludos magnos certaminaque Olympia, Pythia etc. delegare: quos quidem aut semper aut plerumque ipsos fuisse

---

gulis senatoribus singulas dederunt, inde efficitur illos, ut cuique libuit, e re familiari pecuniam donavisse, quae liberalitas ad diei festi apparatum pertinet. Nam suas opes ad Thesea celebranda agonothetas contulisse verba 444 v. 18: *καὶ εἰς ταῦτα πάντα ἀπολογίζεται ἀνηλωκὼς ἐκ τῶν ἰδίων* demonstrant.

[1]) Cf. 477 b (add. p. 427): *ἐπιμεμέληται δὲ* (sc. *ὁ ἱερεὺς τοῦ Ἀσκληπιοῦ τοῦ ἐν ἄστει*) *τῆς τοῦ ναοῦ εὐκοσμίας*.

[2]) Cf. II 573, ubi conductor theatri Piraei *ὠνητής* audit.

senatores probabile est [1]), ut Demosthenes dicit de FL. 128: *ὥστε μήτε τοὺς ἐκ τῆς βουλῆς θεωροὺς μήτε τοὺς θεσμοθέτας εἰς τὰ Πύθια πέμψαι.* Deinde apud Aristophanem in Pace v. 713 sq. Mercurius hoc Trygaeo imperat:

*ἀλλ' ὡς τάχιστα τήνδε τὴν Θεωρίαν*
*ἀπάγαγε τῇ βουλῇ λαβών, ἥσπερ ποτ' ἦν.*

Ubi schol. ad v. 715 adnotat: *ἡ γὰρ βουλὴ τὰς θεωρίας ἐξέπεμπε* (cf. v. 888 sqq.). Praeterea animadvertendum est, quod apud Dinarchum c. Demosth. 82 legimus: *ἐπειδὴ δὲ . . . Νικάνωρ εἰς Ὀλύμπια ἧκεν, ἀρχιθεωρὸν αὑτὸν* (Demosthenes) *ἐπέδωκεν τῇ βουλῇ* (Ol. 114, 1). Unde apparet architheorum quoque a senatu interdum eligi. Quamquam cum architheoria liturgia esset, hoc non semper fieri potuit, atque etiam fortuito tantum evenit, ut architheorus esset ex ipsis senatoribus, sicut iterum Demosthenes anno Ol. 107, 4 senator simulque architheorus erat, cf. Demosth. c. Mid. 115: *εἴασε* (Midias) *δ' ἀρχιθεωροῦντα ἀγαγεῖν τῷ Διὶ τῷ Νεμείῳ τὴν κοινὴν ὑπὲρ τῆς πόλεως θεωρίαν* [2]).

---

[1]) Cf. Boehnecke *Forschungen auf d. Geb. d. Att. Redner* p. 48. M. H. E. Meier de sacris Graecorum legationibus, Halis Sax. 1837 p. X.

[2]) De architheoria cf. Thumser de civium Atheniensium muneribus, Vindob. 1880 p. 95 sq.

# APPENDIX.

## C. I. A. I 52.

Titulum C. I. A. I 52, de quo supra pauca notavi p. 43, cum ex parte plenius restitui posse existimarem paullo diligentius tractare mihi proposui.

Atheniensium iusiurandum voce demum *οἰχομένων* (v. 15) finiri censeo et fere sequi: *ἔ[στω δὲ Βοττιαίοις ὅρκος ὅδε]*. (De spiritu omisso cf. fr. a, v. 10 *ὀμήρους*). Nam etsi his verbis lacunam recte expletam esse pro certo non habeo, certe simili modo initium iurisiurandi Bottiaeorum significari debuit. Deinde sic legam:

v. 16 *φίλοι ἐσόμε[θα Ἀθηναίοις καὶ ξύμμαχοι]*
» 17 *ἀδόλως, καὶ τ[οὺς αὐτοὺς ἐχθροὺς ἕξομεν οὕσ-]*
» 18 *περ ἂν Ἀθηνα[ῖοι, οὐδ' ἀποστησόμεθ' ἀπ' Ἀθην-]*
» 19 *αίων οὔτε χρ[ήμασι οὔτε λόγῳ οὔτ' ἔργῳ, ο-]*
» 20 *ὐδὲ μνησικ[ακήσομεν οὐδέποτε. τὰς δὲ ξυ-]*
» 21 *νθήκας τὰ[ς - - - -*
» 22 *ν ἐμπόλε[ι - - - -*

Hoc igitur iusiurandum in verba *μνησικακήσομεν οὐδέποτε* desinit, cum quibus optime conferri potest formula apud Andoc. de myst. 79: *μηδὲ μνησικακῆσαι μηδέποτε.* v. 22 agnoscitur *ἐμπόλε[ι]*, quocum coniunctum illud *τὰς δὲ ξυνθήκας τάς* verba foederis a Thucydide relati in mentem revocat (V 47): *τὰς δὲ ξυνθήκας τὰς περὶ τῶν σπονδῶν καὶ τῶν ὅρκων καὶ τῆς ξυμμαχίας ἀναγράψαι ἐν στήλῃ λιθίνῃ Ἀθηναίους μὲν ἐν πόλει.* Quare suppleri potest: *τὰς δὲ ξυ]νθήκας τὰ[ς περὶ τῶν σπονδῶν Ἀθηναίους μὲ]ν ἐμπόλε[ι καταθεῖναι* aut . . . *τά[σδε ἀναγράψαντες Ἀθήνησι μὲ]ν ἐμπόλε[ι καταθέντων.* cf. C. I. A. I 11: *[ἀναγράψαι δὲ*

*ταῦτα καὶ τὸν ὅρ]κον ἐ[ν] λι[θ]ίνῃ στήλῃ [καὶ καταθεῖναι Ἀθήνησι μὲν ἐμπόλ]ει.* Quomodo vero his cum verbis initium fragmenti a coniungatur parum mihi constat, cf. v. 3 *ιστήλῃ* (*εἰστήλῃ* Kirchhoff.) . . . . 4: *δ]ὲ καὶ Βοττια[ι- - -*. 5 *ες καταθέντ ---*. — De adverbio *ἀδόλως* v. 17 cf. Thuc. V 23: *ταῦτα δ' εἶναι δικαίως καὶ προθύμως καὶ ἀδόλως.* — Formula *τοὺς αὐτοὺς ἐχθροὺς ἕξομεν* etc. invenitur apud Xenoph. Hist. gr. II 2, 20: *Λακεδαιμόνιοι δὲ . . . ἐποιοῦντο εἰρήνην ἐφ' ᾧ . . .* (Athenienses) *τὸν αὐτὸν ἐχθρὸν καὶ φίλον νομίζοντας Λακεδαιμονίοις ἕπεσθαι καὶ κατὰ γῆν καὶ κατὰ θάλατταν ὅποι ἂν ἡγῶνται.* Unde Busolt. (*Der 2. Athen. Bund* p. 650) effici putat non dici nisi inferiores Lacedaemoniis civitates eosdem quos illos habere amicos et hostes. Idemque p. 713 iudicat de Aeschinis loco (III 100): *γράφει* (Demosthenes) *κελεύων ἑλέσθαι πρέσβεις εἰς Ἐρέτριαν . . . καὶ πάλιν ἑτέρους αἱρεῖσθαι εἰς Ὠρεὸν πρὸς τοὺς Ὠρείτας πρέσβεις, οἵτινες δεήσονται αὑτοῖς τὸν αὐτὸν Ἀθηναίοις φίλον καὶ ἐχθρὸν νομίζειν εἶναι.* Sed errare Busoltum Thucydides demonstrat, cum I 44 refert: *Ἀθηναῖοι δὲ ἀκούσαντες ἀμφοτέρων* (Corcyraeorum et Corinthiorum), *γενομένης καὶ δὶς ἐκκλησίας, τῇ μὲν προτέρᾳ οὐχ ἧσσον τῶν Κορινθίων ἀπεδέξαντο τοὺς λόγους, ἐν δὲ ὑστεραίᾳ μετέγνωσαν Κερκυραίοις ξυμμαχίαν μὲν μὴ ποιήσασθαι ὥστε τοὺς αὐτοὺς ἐχθροὺς καὶ φίλους νομίζειν* (*εἰ γὰρ ἐπὶ Κόρινθον ἐκέλευον σφίσιν οἱ Κερκυραῖοι ξυμπλεῖν, ἐλύοντ' ἂν αὐτοῖς αἱ πρὸς Πελοποννησίους σπονδαί*), *ἐπιμαχίαν δ' ἐποιήσαντο* . . . Etiam Corcyraeis igitur, quamvis opibus inferiores essent Atheniensibus, si foedus cum illis fecissent, ad bellum Corinthiis inferendum Athenienses cogere licuisset. Atque hanc vim in ipsa voce *ξυμμαχία* inesse quis sit quin videat? — De v. 19 cf. C. I. A. I 13 v. 13: *οὔτε λ]όγω[ι] οὔτ' ἔρ[γῳ.*

fr. a, v. 7 sqq. sic lego: [. . . *τοὺς δὲ ὅρκους*]

8: *οἵτινες λή[ψονται* (desunt 11 litterae, fortasse *ἐξορκοῦντες*?), *τὸν δῆ-*]

9: *μον πέντε ἄν[δρας ἑλέσθαι αὐτίκα μάλα. τοὺ]-*

10: *ς δὲ ὁμήρους . . . ---*

Cum quibus cf. *Mittheil.* II 213: [ἑλέσθαι δὲ πρ]έσβεις αὐτίκα μάλα τὴν βουλὴν δέκα ἄνδρας . . . οἵτινες ἀπολήψονται τοὺς ὅρκους παρὰ Ἐρετριέων. — C. I. A. II 52 v. 30 habes λαβεῖν δὲ τὸν ὅρκον. — Collocatio verborum similis est C. I. A. IV 27 a, v. 45 sqq.: οἵτινες δὲ ἐξορκώσουσι ἀφικόμενοι ἐς Χαλκίδα ἑλέσθαι τὸν δῆμον πέντε ἄνδρας αὐτίκα μάλα. Etiam hoc loco postquam de legatis creandis actum est statim de obsidibus decernitur. — Denique argumento horum versuum comprobatur, ni fallor, fr. a post fr. b ponendum esse.

Bottiaeorum urbem Spartolum fuisse Thuc. II 79 (ἐλθόντες δὲ ὑπὸ Σπάρτωλον τὴν Βοττικήν . . .), Diodor. XII 47, Harpocr. s. v. testantur. Deinde cum pro Bottiaeis, qui C. I. A. I 234 in tabulis logistarum extant, 237 iisdem utroque loco urbibus praecedentibus et sequentibus enumerentur Σκώλιοι et Σπαρτώλιοι (qui a Thucydide quoque coniunguntur V 18: Σκῶλος, Ὄλυνθος, Σπάρτωλος), Koehlerus (*Urk. u. Untersuch.* p. 174) arbitratur Stolios quoque Bottiaeos fuisse[1]. Quod num verum sit dubito: 234 enim a Bottiaeis ducentae, 237 a Spartoliis ducentae, a Stoliis sexaginta sex drachmae et quattuor oboli neque a Spartoliis una cum Stoliis eadem, quae a Bottiaeis, summa solvitur. Immo ex hac re concludam Spartolios et Bottiaeos eosdem intellegendos esse (cf. Kirchhoff. C. I. A. I p. 229 in indice). Sane concedo Stolum urbem Botticam fuisse[2]), verum rempublicam Bottiaeorum Spartolios cum suis agris effecisse censeo. Ita explicatur, quod in titulo nostro I 52 senatus et magistratus (ἄρχοντες) Bottiaeorum iurant, complures vero urbes ut unam senatum haberent fieri potuisse illo tempore non credo. Nec coniunctos fuisse Stolios et Spartolios inde patet, quod tributum utrique separatim semper solverunt, cf. C. I. A. I 226. 229. 231. 233. 235. 237. 238. 243. — Contra 'Bottiaeorum' unam

---

1) Cf. Boeckh. *Staatshaush.* II 675.

2) Constat enim nomen eius partis Chalcidicae paeninsulae, de qua agimus, fuisse ἡ Βοττική, cum veteres Bottiaeorum circa Axium sedes Herodoto nominentur *Βοττιαιίς* (VII 123), Thucydidi *Βοττία* (II 99).

rem publicam fuisse etiam inde sciri poterat, quod inter *πολιτείας* Aristoteleas caput erat *περὶ τῆς Βοττιαίων πολιτείας* (Plut. Thes. 16), idemque nummi probant, cf. Eckhel. II 70, qui tria numismata affert 'variante inscriptione: *ΒΟΤΤΑΙΩΝ*, *ΒΟΤΤΙΑΙΩΝ*, *ΒΟΤΤΕΑΤΩΝ*. Botteatae vero in Macedonia ipsa habitabant neque huc pertinent (cf. Leake, numism. Hellen. Europ p. 29. Supplem. Europ. p. 118). Apud Steph. Byz. s. v. *Νίκαια* legitur: *πόλις Βιθυνίας, Βοττιαίων ἄποικος· ἐκαλεῖτο δὲ πρότερον Ἀγκώρη, εἶτα Ἀντιγόνεια, ὕστερον δὲ ἀπὸ τῆς Λυσιμάχου γυναικὸς Νίκαια μετεκλήθη*. Ubi fortasse Botiaënses potius intellegendi sunt, cf. id. s. *Βοτιάειον· πόλις Φρυγίας, ἔχουσα λίμνην Ἄνταιαν λεγομένην, τρέφουσαν ἅλας. τὸ ἐθνικὸν Βοτιαεύς.* — Ceterum Olynthus usque ad annum 479 Bottiaeorum fuit teste Herod. VIII 127. — Cum vero C. I. A. I 226 Mecypernaei una cum Stoliis tributum solvant, apparet etiam Mecypernen urbem Botticam fuisse: sed etiam hi 234 iuxta Bottiaeos enumerantur. — Denique ut Bottiaeorum, ita aliarum quoque civitatum senatus Atheniensibus iuraiuranda dare consentaneum est: cf. Thuc. V 47 de Mantineensium et Argivorum, *Mittheil.* II 212 de Eretriensium senatu.

Typis expresserunt Breitkopf et Haertel Lipsienses.